EPITHALAMIA CANTABRIGIENSIA

In

Nuptias Auſpicatiſsimas

Sereniſsimi Regis

CAROLI II,

Britanniarum Monarchæ,

Et

Illuſtriſsimæ Principis

CATHARINÆ,

Potentiſsimi Regis

Luſitaniæ

Sororis Unicæ.

CANTABRIGIÆ:

Ex Officina *Joannis Field*, celeberrimæ Academiæ Typographi.

Ann. Dom. 1662.

EPITHALAMIA
CANTABRIGIENSIA

In

Nuptias Auspicatissimas
Serenissimi Regis

CAROLI II,

Britannarum Monarchæ,

Et

Illustrissimæ Principis

CATHARINÆ,

Potentissimi Regis
Lusitaniæ
Sororis Unicæ.

CANTABRIGIÆ:
Ex Officina *Joannis Field*, celeberrimæ
Academiæ Typographi.
Ann. Dom. 1662.

Ad Sereniſsimum, Auguſtiſsimumque

CAROLUM II,

Angliæ, Scotiæ, Franciæ, & Hiberniæ

Regem.

D*ilique, Deæque omnes queis vinc'la jugalia curæ,*
Dum cingunt Thalamos CAROLE Magne *Tuos,*
Juno, Suada, Venus, Latonia, Jupiter, Hymen,
Hebe, Aſtræa, Charis, Pax, Amor, *atq;* Fides;
Quilibet officium præſtat, dat munera quiſque,
Et CATHARINA *Tibi, &* CAROLE Magne *Tibi.*
Suadet item Muſis pietas, Academia Mater,
Offerat ut Thalamis hæc *ſua dona Tuis:*
Nec dedigneris famulas admittere Muſas,
Optime Rex! *quamvis carmina ſola ferant,*
Carmina Numen *habent,* Muſarum *ut vota futuri*
Sint præſaga boni Magnus Apollo *dedit.*

Quin voveam. Vivant Rex, & Regina beati,
Ac læti fiant Auguſtâ prole Parentes,
Quæ Patrium imperiũ facili moderetur habenâ,
Et *Tarteſsiacis* latè dominetur arenis.

Theoph. Dillingham, S. T. D.
Academiæ Procancellarius,

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

AD REGINAM.

SAlve Regina, ô noſtris gratiſſima terris
Advena: felices tu, *Caroluſ*que tuus:
Corda quibus nodo junguntur, fœdere Gentes,
Et coeunt firmâ diſſita Regna fide.
Grata ades Angligenis, quòd onuſta adveneris auro
Indico; at eſt auro plùs pretioſus amor:
Plùs auro pretioſus amor, plùs páxque, fidésque:
Non habet his gemmas India veſtra pares.

Antonius, Comes *Cantii*, è *Trin. Coll.*

FLate leves venti, *Libycis* quos condidit antris
Æolus, & reducem molli ſpiramine claſſem
Per freta, per ſcopulos tutam, per recta viarum
Ducite tranantem compendia, ſiſtite Nymphas
(Veliferas Druides, præſtanti robore Nymphas)
In thalamis *Cantî* fluvialibus. Aſt ubi tanto
Munere (quod voſtrûm eſt) bene functi, abſiſtite, fas eſt
Expirare citò, & tenues rareſcere in auras.
Aſpice, jam ſudum eſt, & littora fida carinis
Undique ſecuro complectitur anchora nexu.
Huc velis properat remísque *Britannia* tota
Neptunum comitata ſuum, peditúmque, equitúmque
Miſta cohors, pariter juvénúmque ſenúmque caterva,
Virgineúsque chorus portum glomerantur ad unum,
Expectántque avidè *Carolo* quid principe dignum
Promeret hæc claſſis noſtríſque adduceret oris.
Extemplò antè alias ſe oſtendit Regia Virgo
Stans celſâ in puppi & Nymphas ſupereminet omnes,
Et *Tingin*, *Goarím*que unà, *Gangém*que, *Tagúm*que,

Secum

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

Secum & flava metalla ferens prædivitis *Indi*,
Occiduíque aurum fulgens gemmásque Orientis;
His stipata venit formâque & corpore præstans,
Sed virtute magis spectabilis Heroina.
Quàm grata hæc cunctis, & pompa, & præda *Britannis*!
Dos pretiosa quidem, at Princeps pretiosior ipsa,
Thesauris Regina suis magis omnibus una.

Ed. Rainbowe, S. T. D.
Coll. Magd. *Præs.*
Decan. Petroburg.

IN SERENISSIMI REGIS
CAROLI II
CUM
CATHARINA,
Illustrissima Principe Lusitaniæ,
nuptias.

Quem Germana velit, *Quem* vellet Ibera puella,
(Hæc flavâ, illa nigrâ conspicienda comâ)
Lusitana tenet, niveisque amplectitur ulnis,
Sola etenim tali conjuge digna fuit.
Si Cytheræa olim talem esset nacta maritum,
Non genialeton contemerâsset ebur:
Belligerum Martem non quæsiviss̃et ab extra,
In *Carolo* nôsset se tenuisse domi.
Quàm prodest *Carolo* pictos ostendere vultus?
Cùm pictura loquax dicitur esse procus.

Picta

Epithalamia *Cantabrigienſia.*

Picta etiam *Catharina* fuit; quantum illa placebit
Vera, cui pictæ tantus habetur amor!
Nunc *Catharina* venit, quæ nos, Patriámque, Domósque
Ornat, Hymen faveas, nunc *Catharina* venit.
Sit *Carolus* tam prole ſuâ, quàm Conjuge felix;
Quóque ſuum poſſint vota ferire ſcopum,
Exilium ignorent, habeant ſed cætera Patris;
Exceptis vinc'lis aſſimulentur Avo.
Ite Triumphales, Divûm Par, ite per Arcus;
Victus uterque fuit, Victor uterque fuit.

Jacob. Fleetwood, Coll. *Regal.* Pr.

ALma dedit *Carolo* fœcundam Gallia matrem,
Uxorem at Portu-Gallia amœna dedit.
In dubio eſt utri plus debeat Anglia genti?
An Matrem, an Sponſam quæ dedit? Eſte Pares.
Debemus *Carolum* tibimet Regina *Maria*.
Huic ſimilem ut parias Tu, *Catharina*, precor.

Ri. Minſhul, Sidney-Suſſex. *Coll. Magiſter.*

Auguſtiſsimi Regis CAROLI II. *Reditum,*
Et
Lectiſsimæ Reginæ CATHARINÆ *Adventum*
Gratulatur ſibi redivivus Britannia.

QUæ nuper tot bella tuli ſtragésque meorum,
Et Regis ſacro victa cruore madens:

Cujus

Cujus & attoniti stupuerunt arma propinqui,
Clara licet cœpi clarior esse malis.
Ni socius sceleris, ceritam jure vocares,
In mea dum torquet viscera tela manus.
Tantum relligio potuit suadere malorum?
Quæq; beare solet, me miseram perimit?
Tartarea hæc pietas, Erebique emersa profundis,
Quâ didicit vulgus principis esse caput.
Sed *Carolo* redeunte vigent Saturnia regna,
Imperiique ratem nulla procella ferit.
'Ευδία grata meos nunc vivere si facit, ergò
Miraris? nostri † spiritus oris adest.
Nunc calcare licet truculenti fulmina fati,
Esse miser sub te Cæsare nemo potest.

† *Thren. 4. 20. Spiramentum narium nostrarum, unctus Jehovæ.*

At Regina mei tu pars quoque maxima plausûs,
Fertur in obsequium dum pia turba tuum.
Jam Tagus ulteriùs rutilas nè jactet arenas,
Secum, quicquid habes, en *Catharina* tulit.
Aurea proveniat soboles de stemmate tanto,
Carolus, & post hunc *Carolus* alter ovans.
Sic foecunda parens genialis munere lecti
Quæ *Carolus* tribuit non peritura facis.

Fran. Wilford, C. C. C. *Magist.*

In Auspicatissimas Serenissimi Regis nostri
CAROLI II. & CATHARINÆ
Lusitanæ nuptias.

FRustra aliæ gentes *Carolum* petiere maritum;
Lusitana parem sola habuit *Carolo*:

Nam nunquam Cœli tam confessissima dextra
Restituit Dominis Regia sceptra suis.
Fœdera quos thalami, quos & miracula jungunt,
Et puræ jungat Religionis amor.

Vovet

Guil. Dillingham, S. T. D.
Coll. Emman. Præfectus.

HERBÆ CORONARIÆ,

Quas,

In FASCICULUM *Epigrammatum collegit,*
& HONORI *retulit,*
F. B.

I. *Gramen.*

GRamen deserimus; Ridetis? Dicite, cur non?
Istâ nobilior nulla *Corona* fuit.

II. *Hedera.*

APproperant *Hederæ* genibus: TE stante virebunt:
Crescant vel Rami, qui mea Vota fovent?

III. *Spina Coronalis, & Lachryma Jobi.*

SPina *Coronalis* non hîc; Non *Lachryma Jobi*:
Floruit *hæc* nimiùm nuper, & *illa* nimis.

IV. *Chamæmelum.*

HErba *Chamæmeli* lassos corroborat artus;
Sudores nostros Gloria parta levat.

V. *Myrica.*

VEntorum rabiem rident per prata *Myricæ*;
Certiùs ut possis vincere, cede, late.

VI. *Ama-*

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

VI. *Amaranthus.*

PErpetua eveniunt *Amarantho* serta: perennis
Quæ non est, non sit chara corona TIBI.

VII. *Heliotropium.*

Solsequium verax animi constantis imago;
Præpetis assiduus Solis ubique comes.

VIII. *Lilia.*

GRatia, Candor, Odor, Majestas, Forma, Quic hîc non:
Quid non hîc? dicam; Nulla venena latent.

IX. *Rosa Mensalis.*

ILla *Rosa* est florens in quovis mense, perennis
Illa, virens hyeme est, gratia semper adest.

X. *Fasme.*

QUamcunque attingit terram, radicibus hæret
Fasme: orbis totus, quò ferimur, patria est.

XI. *Semper-vivum.*

AD Phœbi currum bene *Semper-viva* moventur:
Ut semper VIVANT sunt mea vota, DEUS!

XII. *In Zoilum.*

INsulsæ sunt herbæ, inquis: lege, lingere noli:
Concessum est istas *edere*, non *edere*.
Sunt ficcæ; nemo prohibet, Tu mittito in ignem:
Fortè tamen lucem cùm periere dabunt.

F. Bargrave, S. T. D. & *Coll. S. Petri.*

Epithalamia *Cantabrigienſia.*

Ad Reginam de adventu ſuo Gratulatorium.

Illuſtriſsimæ ſcil. Reginæ *Bohemiæ*, quæ nuper obiit *Londini* ipſo die Cinerum, *Febr.* 12. 1661.

GRata ades, ô Princeps, & penſas fata * *Bohemæ*;
Decedente *amitâ* Regis, *amata* venis.
Ex *cinere* alterius nova nunc Regina reſurgis:
Phœnices nec enim fas ſimul eſſe duas.
Mœſta dies *cinerum* fuit, heu, quando illa receſſit,
At ſtruimus *feſtas*, Te veniente, *pyras*.
Illius exceſſu ingemuit cœlúmque ſolúmque,
Et facies rerum triſtis ubique fuit.
Conſcia terra parens pullo ſqualebat amictu,
Imbribus uſque novis permadefacta genas.
Flatibus horrendùm inſolitis immugiit æther,
Singultúsque dedit ventus, & unda ſuos.
Ingens tempeſtas! bruma undique, & undique nubes,
Et dolor hybernas flebilis auxit aquas.
Omnia manabant lacrymis, luctúque ſonabant:
Tam feralis hyems, illâ abeunte, fuit.
At cùm Tu noſtros petis, ô Regina, penates,
En fiunt radiis omnia ſuda tuis.
Solvitur acris hyems gratâ vice veris amœni,
Tu cum vere novo primula veris ades.
Ridet ager, vernant campi, tellúsque renidet:
Cant. 2. 11. Cùm Tu, Sponſa, venis, * *tranſiit acris hyems*;
Diffugiunt imbres, ponunt ſua murmura venti,
Proveniunt cœlo candidiore dies.
Diffugiunt nubes; lacrymæ, luctúsque recedunt:
Tam placidum ver eſt, Te veniente, tuis.

Jacob. Duport, S. T. D.

Coll. Trin. *Vicemagiſt.*

In

Epithalamia *Cantabrigienſia.*

In Nuptias auſpicatiſsimas Sereniſsimi Regis

CAROLI II,

Britanniarum *Monarchæ, &*

Illuſtriſsimæ Principis

CATHARINÆ,

Potentiſsimi Regis Luſitaniæ *Sororis,*

EPITHALAMIUM.

HIſpali, cæruleis das aurea mala Britannis,
Nequicquam; nec enim Veneris prænuntia veſtræ
Munera, venturæ nec mittis pignora Nymphæ;
Iûnges licet hæc, & amantûm dona vocentur,
Aurea cærùleis quæ mittis mala Britannis.
En tibi, Olyſſippo, Deus hos ſervavit honores,
Et Luſitanæ ſunt hæc commercia terræ.
Hinc torus, & tedæ Britonum, & connubia ſacra,
Hinc Anglis Hymenæus adeſt: hinc Regia Virgo
In thalamos deducta tuos, ter Maxime Regum,
Chara Deûm ſoboles, cœli *Catharina* propago,
Nominis omen habens, mens pura in corpore puro,
Purior obryzo, facta ex meliore metallo,
Denique vel *Carolo* Venus aurea digna marito.
Nuda placet virtus, nativo clara nitore,
Et vanas mundi phaleras, & ephippia temnit.
Gratior & formâ eſt, proprio quæ tincta colore,
Ipſa ſuis contenta bonis, non indiga ſuci,
Aut florum, nec pigmenta aut myrothecia quærit.
Sic Heroinæ quondam & ſine dote decoræ
Ad Regum thalamos, Divûmque cubilia ductæ.
Sic radiis formoſa ſuis *Catharina* refulget,
Et decus omne ſui, & ſidus prænobile ſexûs,

Epithalamia *Cantabrigiensia*.

Ipsa sibi dos ampla satis, satis ampla marito,
Et Regi, & *Carolo*, licet auri mille talenta
Nec tu, *Alphonse*, dares, nec mitteret India gemmas.
Quantum Magna tibi, Rex Magne, Britannia debet,
Te nacta affinem jam facta Britannia Major,
Quando tuam huc dono misisti classe Sororem!
Crede mihi, mundi jubar, & spolia orbis opima
Angligenis, sec'lúmque dedisti commodus aureum;
Aurum & opes, gemmásque omnes Orientis, & omnes
Persarúmque, Arabúmque uno hoc in munere gazas.
Quicquid ab auriferis Gangetica terra fodinis,
Quicquid Java tibi pendit, ditesque Moluccæ,
Quicquid Olyssippo, septem arcibus inclyta promit,
Grandis Olyssippo, Marte urbs metuenda marique,
Emporium Europæ, quo non opulentius ullum
Undique convectas videt ad sua littora merces,
Quicquid & unda Tagi flavis advolvit arenis,
Divitis unda Tagi, totum hoc per cærula puppi
Quâ *Catharina* venit, noltris allabitur oris:
Orbis & Hesperii gaza, & thesaurus Eoi
Hâc navi advehitur; rate in una scilicet omnes
Gente ab utraque suas huc contulit India merces,
Omnes &, postquam facta est hæc unio, gemmas.
O inopem Hispanum! geminos jam exhausimus Indos,
O nos felices, quos sic *Catharina* beavit!
Ipse ratam velit esse Deus (Pater, annue votis)
Æternámque Anglis, quam fert Regina, salutem.
Détque ea *Carolidas*, fœcunda puerpera, crebros,
Pignora lætitiæ, venturæ pignora pacis;
Det modò *Carolidas*, vix est quod poscimus ultrà,
Et Regem pulchrâ faciat citò prole parentem.
Sic Lusitanam semper colat Anglia gentem;

Sic

Sic urbem antiquam vafri veneremur Ulyssis.
Jámque duo populi, bello pelagóque potentes,
Junximus unanimes æterno fœdere dextras.
Quid non uniti faciant, duo fulmina ponti,
Quando & uterque olim propriâ sic classe tremendus
Imperium Oceano, famam circumtulit orbi?
Victor uterque prius volitavit in æquore toto
Tum quoque Marte suo, latè & dominatus in undis
Jura mari dedit, & terrorem incussit Iberis
Solus, opem alterius cùm nec deposceret alter.
Quas non ergò oras, aut quæ non littora pandant?
Aut ubi non ambo ostentent victricia vela,
Quando simul junctis sulcant jam classibus æquor?
Quæ non edat ovans toto miracula mundo,
Aut Lusitanis nunc Anglia navibus aucta,
Aut etiam Angliacis gens Lusitana carinis?
Quin excita igitur navalibus occupet altum,
Conscendátque suas Trinobantias inclyta puppes,
Et sociam sibi sumat Olyssippona sororem:
Cúmque Tago Tamesis communes misceat undas,
Misceat atque rates: quantum hoc sub pondere Tethy
Pressa gemes! ô quàm tot molibus undique jactis
In mare, contractum se sentiet Ennosigæus!
Torvus Iber junctis summittet carbasa velis,
Et geminæ invitus cogetur cedere classi;
Cognatæque trabes Neptunia regna capessent.
Tum verò innocuas errans impunè per undas
Utraque gens toto peraget commercia ponto:
Protinus & nostros diverso à cardine mundi
Confluet in portus naturæ cuncta supellex.
Fundet Arabs myrrham, mollis sua tura Sabæus,
Vina dabit Chius, mella Atticus, Indus & aurum,

Epithalamia *Cantabrigienſia.*

Indus uterque aurum, mittent ſua vellera Seres,
Tu tua vaſa, Corinthe, tapetia Boſporus ingens,
Fœtáque purpureo Tyrius conchylia ſucco:
Mox & Erythræo venient à littore conchæ,
Et gemmæ ex Oriente, refulgentésque Smaragdi,
Et lapidum pretioſa ſtrues; tum Mexica nobis
Servierint, flavíq; parens Peruana metalli.
Poſtquam ergò cunctas ſpoliavimus undique terras
Mercibus omnigenis, alias ſcrutabimur oras,
Oceanúmque alium, atque alium tentabimus orbem:
Cúmque exhauſta penus veteris, nova & altera nobis
Mox pandet natura ſinum, & nova littora noſtris
Atque ignota priùs penetrabimus æquora velis.
Impiger Herculeas contemnet nauta columnas,
Plus ultrà ingeminans, nec navibus *ultima Thule*
Obſtiterit noſtris, fuerit nec meta viarum.
Sic maris imperio potiemur utrique, nec unus
Sufficiet noſtris amborum claſſibus orbis.

Jaco. Duport, S. T. D. Coll. Trin. V. Mr.

LUſitane tuos veteres cum laude triumphos
Miramur, Maurus cùm tibi terga dedit.
Vidimus at quando detruſum finibus hoſtem,
Qui mente imperium totius orbis habet:
Mens ſtupet, attonitúsque ſtetit virtutibus orbis,
Ac ultra Herculeos ſuſpicit eſſe duces.
Nè Lisbona tamen jactes, patriæque ſalutem
Viribus aſcribas imperioſa tuis.
Palladium Teucros ſervavit in urbe locatum,
Liberat intuitu nec *Catharina* minùs.

Hinc q;

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

Hincque patet citiùs cur non advenerit oras
Angliacas, patriam commiserata suam,
Quam simul ac tutam spectâsset ab hoste superbo
(Servili excusso jam sine cæde jugo)
Haud mora, Neptuni spumosa supervolat arva,
Ut ruat in *Caroli* brachia amata sui.
Ardet uterque, pares volvunt sub pectore flammas,
Hinc nostra, expulso frigore, vernat hyems.

Ja. Jackson, Med. Doct.
Aul. Clar. Soc.

Ad Potentissimum CAROLUM, *de felicissimis nuptiis.*

HÆc viduata diu, & turbâ lassata procorum
Regna, sinum repetunt officiosa tuum.
Connubio hæc jungis stabili, Tibi juncta vicissim
Mente piâ, obsequio, firmâ in amore fide.
Vicisti, Rex Magne, cadit ferus impetus, audax
Imperium populi fregit amica mora.
Ad latus accedit thalami lectissima Consors,
Auri quam toto perluit imbre Deus.
Vicisti, *Catharina* potens, qui pertulit arma,
Captus amore cadit victima læta Tibi.
Vulnera, quæ *Carolum*, tua saucia pectora tangunt,
Igne, Cupido, tuo gaudet uterque pari.
Regnis alta quies, vultus posuere minaces
Astra maligna, oculis orta benigna micant.
Publica flamma, hæc est, sunt hæc sponsalia Gentis,
Quæ, quod nascetur, vendicat omne suum.

Pectora dum alterni accendant in amoribus ignes,
Non res est thalami sola, sed imperii.
Filius in voto est, qui, quæ virtute paternâ
Inconcussa manent Regna, det aucta suâ.

H. Plumm. M. D. C. D. I. S.

Augustissimo potentissimoq; CAROLO II,
Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hyberniæ *Regi.*

DEsine curarum paulisper Maxime Regum,
Publica Res hoc, hoc *Anglia* tota rogat:
Sit Patriæ, studiisque datum est: ut cuncta corones,
Et (quæ largiris) propria dona sient.
Pectus *Acidaliæ* tandem permitte favillæ,
Nec semper noctu seria, Cæsar, age;
Nonne triumphales inter ludentia lauros
Condecorent vestras myrtea serta comas?
Jamdudum Te Genus circumvolat omnis Amorum,
Ut Pueri properes sceptra subire Dei.
Nec mirare, tuis si fusis Hostibus Unus
Poscar ab Augusto corde tributa *Cypris*:
Nam petit, Heroum repares dispendia solus,
Posteritásque tuo debeat ipsa thoro:
Debeat, æterni qui librent pondera Regni,
Dúmque homines fuerint, Te venerentur Avum.
Ardet amore tui longinquis Pallas ab oris,
Ac *Lusitani* lux *Katharina* soli:
Quæ, si jam cœlebs possit Te vita decere,
Perpetuâ debet Virginitate frui.
Nympha potens! vestris absentis vultibus erat
Carolus, & purâ discet amare fide.

Atque

Epithalamia *Cantabrigiensia*.

Atque ex quo voluit dici manifestus Amator,
Nos non *Pieridum*, sed tua Turba sumus:
Nec nobis laurus, nec *Apollinis* insula curæ est,
Sed jocus, & lusus, *Idaliúmque* nemus:
Tota *Paphos* fit *Granta* hodie, ridere Sorores,
Mavorti ut referant quam Cytherea vacet:
Dum tedas cumulant (Genialia munera) Musæ,
Non damnat tales ipsa *Minerva* faces.

R. Widdington,
Academiæ *Cantabrigiensis* Orator.

Δεῦρ' Ὑμέναιε θεὸν πλουτοκράτορα γαμβρὸν
Ζλωὸς ἀφ' ὑλοφόρου Λατμίου ἀγκεφάλου
Ὄιμας θελξινόους ἀμφιβρύαλλος ἐπ' ἠϊόνας
Παντίας χάειτας, γαμφοδόπας τε φόρους
Ὅιος ὅτ' εἰς θαλάμους Μενελάου κυδαλίμοιο,
Εἰς τε γάμους Πηλῆος ἴδ' Ἀτρεΐδαν ἀνάγων
Μᾶλλον δ' ὅιος ὅτε Ζεὺς ὑπ' ἔρωτος πόθου Ὀλυμπίους
Μολπαῖς ἀντήχει, θάσσων ἐκάμπτε γαμάς
Ὀππόθ' ἑὼς εἰς ἠγεθόμους χρυσόθρονον Ἥρλιος
Τῶν τε θεῶν ὁ πατὴρ μητέρα θῆκε θεῶν
Ἀλλ' Πηλεΐδ', ἀλλ' Ἀτρεΐδη, ἀλλ' ἄλλο
Ἀργυρόπεζα Θέτις τ', ἠδὲ Ἑλένη
Ἀλλ' Ζεὺς σκηπτοῦχε κεραυνέ, καὶ κυδρὸν ἀγαλμα,
Γηγενέων δαμάτωρ φαεσίμβροτε, θνητολοιγὲ
Ἀλλὰ πύτνια, πρέσβα θεά, κλυτόμητι, ἐνοσίχθων
Φερτάτη, ἠμετέρῃ παιδὸς ἐπὶ πόλει
Οὐχ ὁμῶς ἐν Φθίῃ Ἑλικωνίδι χ', ἐν Σπάρτῃ
Ψευδῶς εὐρυχόρῳ, ἐν Ἐλευσῖνι πολυ
Κρήτης, ἐν μαιδοῖσι Θηκαίας, εὐσυμπήτης
Τῆς δ' ὅλως μεγάλης Βριτανίης ἐκπαγλότερ
Κόσμε παμμελέων ἐνδε, ἐλικοβλεφάρων
Αὐτάρκως, κόλποις πεπλεῖ δὲ πολλῶν
Πόνῳ εὐρυπόρε, καὶ ἥβαις εὐμυθέοισι,
Τῆς σκῆπτρον, τῆ δ' ἐν χερσὶ πτερόεν ἔγχος
Ἡ δ' ἐ Ἐρωὰδίης ξυγάτηρ φιλότητος ἀγητὸς
Οὐ μαχρῆ κύκτῳ πεπλεῖται βόστρυχον,

Ἔκφερε

Epithalamia Cantabrigiensia.

Ἐκφερέτω μὲν Φοῖβος, ἢ ἀμολγαῖος Κηφεύς
Ἀλλ' ὅσιον ῥίζης ἔρνος ἀπ' ἀνδρὸς ἰὼν,
Ἐκφερέτω Ἥρωνα, ἀρεΐας τ', ἀρχάς τ' ἐπασσιῶν,
Οἷς κόσμος τέρπνος πᾶσα παρεῖχε μερίς,
Ὧν σκήπτρ' ἐσιὸν ἐτείνετ' ἀκαλλείποιν ὁμοῦ πᾶν
Ἀντίλλων καλὰ ῥύτ' ἀμφιέπτ' ἐφ' ἅδων,
Σπήλης Ἐσσεξίης ἄπο γ' εἰς Γαληνίδα δόντων
Εὐρώπης, Ἄσης, τῆ τι νομὸς Λιβύης.
Ἄμφω ἀεκητῆτ' ἠνορέη, δόξη τε πίειρύσει,
Καὶ Σαλέδοντ' ἐέσσης ἀρδόσιν ἠλιβάτῳ
Καὶ Σολομὼν Ἀρχῆσιο ὁ ἐσθλὸς βασιλῆος Νότοιο
Ἡ ῥ', σοφὸς Καίσελ, ἢ Καδμείνα κακή.
Τύτνις εἰς φιλοκλεΐης σπινθῆρος μελίγηρυ
Τέρπ' ἀγανοῖς μέλεσιν, τέρπ' Τιμάνθεϊ χρεοῖς·
Χαῖρε τ' εὐκράντοιο κόρης φρενοκηλέα λώβαν
Ὄλεσον ἀειρ', ἀρετῷ, ἢ κλέος ἀμφοτέρων.
Τῆ γένος, ἀγυιᾶν ἐειδηλία ἔλασσον ἀγάλλων,
Τῷ τι πόχλῳ, δεῖπε δαῖμον μὴ' ἐυπείης·
Καὶ σοφίᾳ, πελάοι δ' ἐπ' ἄκριον δίδυμα Δηλόσιος
Ἧς πλέον ἰθμῶν νηὸς ἀλλομένης·
Ἐυσκίλιν δ', ἅπτε βαμοὶς ἰόφυτοι πιόωσαι,
Δᾶκε θεοῖς ἱερῆς, δὲ χ' ἱερεύσι θεός·
Ἡνορέλῳ τ', ἐχθρὸς δ' ἰωκατέλῳ αὐτόν τε δαμάσσαι,
Μάρναδ' κεφ' ἱερῶν, δῆρ' καλὰ, δεινὰ φέρειν·
Ἐυλαλίλῳ τ', ἐξ ἔθεν αὐδᾶν χείρεσσιν ἔχουσι,
Τοῖς τε φίλοις, ἢ τοῖς δυσμενέεσσιν ἴσῳ·
Πεῖσον ἀμαρτινόοις τε, ἢ ἅπιον ἦτορ ἀλύτειν,
Δῦναι συγγνώμῳ, μὴ πάλιν ὀξὺ λαβεῖν.
Τῆς δ' ἀπὸ δολιγενῶν πατέρων μοιρηγενὲς ἔλδω
Μαρμαρυγᾶς ἰδίμις φέγγ' ἀξιδμήσον·
Οὐρανίον κάλλ' γλυκεραις ἐοὶ λάμπον ὀπωπαῖς,
Καὶ μέλι θεσπεσίδ' ὂν ἀπὸ ζώματ' ἄ.
Τῷ τ' ἤδυς ὑμνηλοι ἀμεμφέτοιο γαλιλίου,
Καὶ πιπτίδος ψυχῆς ἐμφερὲς ἔπτασις·
Ἄλλως τ' ἀμφοτέρων ἄλυς πλήθει ἀγαθῶν,
Οὐσιος πόλ' ἔχει δῆναι, δὲ' ἄστα πόλ'.
Τμῆν ταῦθ'· ὕμνοις ὐχαὶ δ' ἐπίκαλα κεφαλαὶς,
Καὶ φιλίοις ἀγνὰς αὐτὸν θεοῖ πλίδας
Πολλά τε νεογάμοις Ἥρωσι χ' ἑλλαγμοῖς,
Ἄξια σφῷ δ' ἀρετῆς, ἄξια δῶρα πίχει·
Ἀμφῖτας Καρόλῳ πολέμως, ἅπαντ' τε δεσμίους,
Αὐλομάτας ῥίκαι, αὐλοφυεῖς στρόφοι,
Ἄλλως τ' ἀρχομένους, ἢ τοὺς δ' ὀυπιδέας εἶναι,
Πλείονα σκήπτρα φέρειν, ταῦτα βέβαια μένειν.

Τῆτι

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

Τῇ τε νέας αἰεὶ χάριτας πότνῃ Καθαρίνῃ,
Ἱμερτὸν κάλλους τ' εἴαρ ἀειθαλέος,
Μητέρ' ἔμεν τόσσων δ' ἔυτεκνον ὄπισθεν ἀνάκτων,
Ὅσσων πρόσθεν ἔην ἐυπατέρεια κόρη.
Ἀμφοτέροις ὁμόνοιαν ἀτέρμονος ἔσχατα ζωῆς
Ἐις πέρατ' ἀῤῥήκτοις δέσμασι σφιγγομένην,
Κῦδος ἀείμνηστον, μακρὸν βίον, ἄφθονον ὄλβον,
Ἔυρωστόν τε δόμας, γηθόσυνόν τε νόον.

Πρῶτον ἔδωκεν ἀγακλειτῷ βασιλείαν ἄνακτι,
Τοῦτο δίδωσ' ἡμῖν τὴν βασίλισσαν ἔτος.
Τῶν προτέρων δ' ἵνα μὴ δοκέῃ πάνθ' ὕστατον, υἱοῖς
Ἡμετέροις δώσει τὸν βασιλῆα, τρίτον.

Isaac Barrow, Trin. Coll.

Gr. L. Pr.

JUpiter in Danaen aurato labitur imbre,
Fertur ab his Perseus prosiliisse toris.
Disce vel hinc, Hermes, rerum quid fulminat aurum,
Persea, belligeri qui tonat ære Dei.

DUm *Caroli* petit amplexus *Catharina* Britanni,
Funditur in sacros Aurea tota sinus.
Túque, pater Thamisine, Tagi flavescis arenâ,
Et dives ripas alluit unda tuas.
Utque venit Virgo, redeunt Saturnia regna;
Macte esto tedis, ô Hymenæe, tuis:
Tu Lucina fave, * Regis de sanguine natos
Dum parit, & populis aurea sec'la suis.
Hinc tibi *Carolidæ* surgent, mitissime Cæsar,
Siqua fides Vati, Diíque Deæque, tuo.
Nascentur Reges, qui regna paterna capessent,
Qui nôrint justâ sceptra tenere manu.

* Omen de *Anna Bolena.*

Epithalamia *Cantabrigienſia.*

Quæque peregrinis ferient nova fœdera regnis,
Inque ſacros cogant arma, virósque tōros.

Plus ultra inſcribit variis erroribus Heros,
Donec Ulyſſéâ nomen in urbè locat:
Tum Diis placatis, patrias redit exul ad oras,
Turba luunt pœnas luxurioſa, proci.
Hoc Tibi convertat, Cæſar, Deus omen in ipſum,
Compleat errores urbs ea fauſta tuos.
Sic, ô ſic iterum dicetur Julia felix;
Albion auſpiciis Olbion uſq; novis.

D. Morton, Acad. Proc. jun.
Coll. D. Joan. Soc.

Ad Auguſtiſſimos Principes { *Ca*rolum. / *tharinam.*

OCyùs illuſtres tedas accende, nec ultrà
Mortiferis crucia nos, Hymenæe, moris;
Congreſſus Divis matures, ô bone, lætos,
Nec pendere diu gaudia noſtra ſinas.
Portanti Nymphám ventos afflare ſecundos,
Et fore da portus æquora tota rati
At tu divinam feliciter excipe Sponſam,
Fœcundóque fove, Regie Sponſe, ſinu;
Auxeris útq; tuos numerosâ prole Britannos,
Serus inoffenſum reffer in aſtra pedem:
Aſpiret votis veſtris fortuna, ſuámque
Diva tuæ ſubdat ſors *Catharinæ* rotam.

Guil. Daintrie, C. D. P. Proc. dep.

Carole,

Epithalamia *Cantabrigienſia.*

Carole, dum proprios linquit *Catharina* penates
(Unica conjugio fœmina digna tuo)
Dum pelagi ſpernit rabiem, Boreæque furores,
Libet Regales ut Tibi prima genas:
Attollens lætos feſtiva *Britannia* vultus,
Protinus excelsâ talia voce refert:
O Virgo Europæ cunctis prælata puellis,
Grata mei Domini gemmea tecta ſubis:
Dudum per Thamiſin diffundi carbaſa cerno,
Regis in amplexus ut *Catharina* ruas:
Sanguine non alio mihi creſcet & Alter, & Alter,
Felix perpetui qui caput imperii,
Temperet Arctoum patriis virtutibus Orbem,
Et poſt innumeros ſceptra capeſſat Avos.

Chr. Bainbrig, S. T. B.
Coll Chriſti Soc.

JAm Ponto redit alta quies, jam lenior aura
Componit pelagi rabiem, poſitóque tumultu
In nova pacati coierunt fœdera venti:
Non jam ſævit hyems, non jam volvuntur aquarum
Ingentes cumuli, nec turbant æthera nimbi;
Sed lentis Zephyrus volitans ſuper æquora pennis
Æquali placidas afflatu lævigat undas,
Aut ſuavi tremulos criſpat ſpiramine fluctus,
Et brevibus rugis ſulcat mare; nulla procellas
Sidera progignunt, non fax inimica Capellæ,
Non Hyades pluviæ, non importunus Orion.
Ecce autem interea mites pulcherrima puppis
Radit aquas, mollíque fluit per cærula lapſu,

Et proram Angliacas fulgentem obvertit in oras;
Stant circum naves aliæ, pinúsque minores
Fulmineæque trabes, quas huc obsessa remisit
Africa, quæ mediam incolumem denso agmine cingunt.
Hîc etiam elatum præfers, Neptune, Tridentem
Placaturus aquas, si rupto carcere frendens
Irrueret Notus, aut Junonis jussa capessens
Æolus insanis laxaret vincula Coris.
Formosa attollunt comptæ Nereides ora
Pulchriùs extantes undis, & suave canentes,
Pulsantésque cavas festivo carmine rupes;
Et scopuli resonant Hymenæis: omnia late
Collucent tedis, facibúsque jugalibus ardent.
An Thetis Æmonium jam dedignata cubile
Natúmque Æaciden, peregrina ad littora tendit
Enuptura Jovi? quid tanto numina plausu
Læta parant? aut quos ducunt agitántque triumphos?
Jam certus video pictas adnare carinas,
Et magnam nostris *Catharinam* sistere terris;
Illam avidi expectant, & amicâ voce salutant
Purpurei proceres, totôque in littore fervet
Æmula plebs, vastísque ferit clamoribus astra.
Reginam interea fessæ longo ordine Nymphæ
Sacrata ingenti pompâ in Pallatia ducunt,
Regaléque struunt epulas, thalamósque coronant.
At tu quæ Divam, Jove fortunante, tulisti
Sacra ratis; non te jactabunt fluctibus Austri
Atroces, nec tuta minas horrebis Iberas;
Jam licet inventos repetas securior Indos,
Jam tua jussa ferent ambustis vultibus Afri;
Jam flavam, Tagus in Tamisin devolvet arenam
Largus, & ipse Pater fluvio pretiosior ibit,

Et

Et Tarteſſiaco rutilabit fulgidus auro:
Uſque adeò in melius cuncta hæc connubia mutant.
Tu verò Regina fave, quæ fœdere gentes
Junxiſti ſtabiles, & certâ pace ligâſti,
Concordes longúm ducas, & ſuaviter annos:
Et pallens decimum cum Luna expanderit orbem,
Parvulus excelsâ *Carolus* tibi vagiat aulâ:
Hunc Muſæ naſcentem, atq; hunc Tritonia Pallas
Reſpiciat, Charitéſque piæ cunabula verſent,
Hunc victrix Bellona ſuis enutriat ulnis;
Cúmque inter ſuperos præſens, Auguſte, recumbes
(Qui veniat tibi ſerus honos) hic trina capeſſat
Sceptra manu, & populos patriis virtutibus ornet.

Rob. Grove, M. A. *Coll.*
Divi Joan. Soc.

Ad Regem in ſolennitatem nuptiarum.

QUid rediit cœlebs Anglorum regius exul?
Oppreſſum diadema tuum, ſors ardua ſceptri,
Hæc non terrebant animos, mentéſque potentúm,
Quin thalamos petiere tuos. Gens extera nulla,
Quæ te Heroum non Hymenæis ſanguine dignis
Quæſivit. Peregrinis dum verſatus in aulis
Nobilius penſum cordato pectore volvis,
Et regale magís, proprias ambire coronas
Connubio ſtabili, patriæ tu gentis amorem
Conciliare velis; ſummis Deus annuit auſis.
Nunc properas feſtas nobis accendere tedas,
Conjugiúmque pacas Divorum ſtemmate clarum;

Epithalamia *Cantabrigienſia.*

Nil vulgare tuum poſſit diadema meteri;
Lucidius nempe emergit multo igne probatum:
Regia nympha Tagi; cujus vel jura cubilis
Principis ullius non auſa eſt flamma rogare,
(Tam ſuperat gazis, cunis auguſta parentum)
Sola tuo minor eſt ſceptro, ter magne Monarcha.
Sed lecti conſorte tuâ, felicibus aſtris
Prognatâ, gaude: vulgo, plebíque protervæ
Vix regum placuere tori, ſi concio longa,
Vibrârunt ſi tela preces ex tempore fuſæ,
Presbyteri ſi perſtrinxit facundia dira:
Dimiſit larvas populus, ſpecioſa fefellit
Sat pietas: alio venerantur Cæſaris aras
Jam cultu, ſponſámq; ſuam; hæc nunc omnibus æquè
Feſta dies---
Quis calor exhilarat gratus; cœlíque Britanni
Quis Zephyrus perfudit aquas? Lisbona ſuperba
Non meſſes Indas noſtram tranſmiſit ad oram,
Virtus Infantæ ſpiramen aromatis efflat,
Cujus ſparſus odor noſtrum eſt jam qui æthera mulcet.
Connubia hæc ſolus nobis ſtomachatur Iberus;
Nam Lutheranas ſponſas jam ſumptibus auget
Madritum: Spondet dotem tibi (maxime Princeps)
Eſcuriale: reformatas has purpura Romæ,
Et Conclave Pâpæ peperit? Vel forſan alumnis
Hæreticis favet Hiſpanus, tam curat amores;
Non Cathedræ natu major, ſed filius audit
Nunc Charentoni templi, claſsísque Genevæ.
Sed bile, atque minis, parcat jam Cantaber auro;
Luſitana toros *Carolinos* nupta capeſſit,
Anglorúmque animos devotis ignibus urit.
En quas ſpargit Hymen vires, radióſque potentes!

Ritibus

Epithalamia *Cantabrigienſia.*

Ritibus his actis, bellorum triſtis Erinnys
Occubuit, frænant gentem, (Lisbona) Batavam,
Sacra tui Thalami dulcis jam fœdera tecum
Pacis init. ſpes eſt, reliquos hæc pronuba teda
Vel timidos reddet, tumidos vel ſupprimet hoſtes.

E. Kemp, Socius Coll. Reginal.

Ad Sereniſſimam Reginam.

DIva ratem ſcandes, triſtis formidine nullâ,
Non infida cohors, ſed Montacutius Heros,
Qui *Carolum* reducem noſtras perduxit ad oras,
Te vocat, incolumem cùm præſtitit, ille ſalutem
Bis dedit Angligenis;---
Ecce optata redit, feſtinat regia claſſis,
Nec miror celeri curſu ſulcâſſe profundum,
Vela trium votis regnorum proſpera turgent,
Et nè deficiat ventus, vel flaminis aurâ
Luſitana tuas agitant ſuſpiria naves,
Te quibus abſentem lugent. Sed pallida terram
Quid tremulo vultu littus (formoſa) propinquum
Aſpicis; horrendas labes, criménque fatemur;
Regali nuper maculata eſt ſanguine tellus,
Reginæque piæ celſis virtutibus, Orbis
Quas reliquus ſummo thuris celebravit honore;
Non ingrata minus; Borbonâ ſtirpe venuſtam
Gallica ſede ſuâ foverunt lilia pulſam.
Veriùs haud unquam quàm elapſi temporis annis
Anglas ſpina roſas cinxit: tam livida fata
Nobis neverunt mutilati fruſta Senatûs,
Perpetuíque jugum conventûs. Curia fixâ

Mortales

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

Mortales nunc exuvias, plaudente popello,
Et risu vulgi, fassa est, infame sepulchrum,
Aurea cum *Carolo* redierunt sæcla secundo,
Et niveæ luces. Altis natalibus orta,
Pelle metus (*Catharina*) reas, en Thamisis amnis
Jamdudum diri *Cromwelli* excussit habenas;
Officiis magnis, fluctu quàm te ambit amico,
Purius obsequii præstat, majúsve tributum
Vix Tagus ipse tuus; fastum, motúsque priores,
Forsan quos undæ nequeant, amor abluit ingens,
Atque futura fides *Carolo*, Nuptæque Serenæ.

Idem.

CLauditur in fragili pulcherrima nympha phaselo,
Et *Lusitani* gloria tota soli.
Amissam querulo deplorat murmure gemmam,
Et sibi jam sordet divitis unda Tagi.
Dum speculum ponti nitidis illustrat ocellis,
Producit *Veneres* lympha marina novas.
Oceanus terrâ dicatur ditior almâ,
Dum gaza in gremio tam pretiosa manet.
Semper sollicitis Reginam cingeret ulnis,
Ni cupiens toties visere erudat aqua.
Pondere tam sacro portu spoliata Britanno,
Spumantes iras evomit unda maris.

In Nuptias.

Provida connubio gaudet Natura fideli,
Conatur nexu jungere quicquid habet:
Per radios Solis veteri viduata liquore
Cœlo delapsas herba maritat aquas:
Fertilis excelsas vitis complectitur ulmos,
Littoreósque colit myrtus amica sinus:

Fertilis

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

Cur non flexibili ſocietur conjuge *Quercus*
Regia? cur hederam non amet illa ſuam?

Joan. Ekins, A. M. Trin. Coll. Socius.

In adventum Catharinæ *Principis illuſtriſſimæ.*

STernite molle fretum, Superi, fluctúsque tumentes
Sedate, & lenis ſubmurmuret unda precanti.
Nam regnis, Neptune, tuis committitur ingens
Depoſitum, Princeps animæ pars maxima noſtræ:
En videt hanc, viſámque ſtupet, vultúsque recondit
Ipſa ſuos, jam victa Thetis. Fulgete benigna
Sidera, jam vobis geminis pontúsque polúsque
Luceat, Oebalii fratres; ut tuta per undas
Tranſeat huc *Catharina*, ſuíſque adnaviget Anglis;
Quæque ſuis radiis priùs illuſtraverit æquor,
Littora nunc terrásque ſuo ſplendore ſerenet.
Dicite, Io Pæan! inſtat Regina relictis
Fluctibus & ſcopulis: quo gaudens ſidere cœlum
Purius, & noſtras melior lux aſpicit oras.
In plauſus coeunt Superi, jam perſonat æther,
Ingeminat ſua vota ſimul cum plebe Senatus,
Conclamántque omnes, *Rex & Regina beati:*
Succedat *Carolo Carolus*, Divina propago,
Deinde nepos, pronepósque, novâ ſic prole triumphet,
Et ſemper ſimili frondeſcat virga metallo,
Quæ longâ ſerie, regali ſtemmate nata,
Sceptra capeſſat avûm, noſtrum & feliciter orbem
Temperet, æternósque agitet cum pace triumphos.

Jo. Cradock, Coll. Emman.

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

Lusitania *loquitur.*

Quæ missa cœlo redditur ætheri
Dulcedo plausu non solito fremens?
Inusitato quis Deorum
Ducit ovans nova sacra cultu?
Quid Rex aquarum purpureas Tagus
Attollit undas? volvere vórtices
Duerus illinc ampliores,
Hinc rapidus Guadiana tendit?
I, Nympha felix, occiduis plagis
Aurora fulgens; Regibus edita,
Datura Reges; splendida ortu;
Splendidior thalamis futura.
Te clara poscunt sceptra Britanniæ,
Celsísque regnis celsior Arbiter;
Gens tota surgit, sidus almum
Luce novâ reparanda poscit.
Iras minacis rupibus abdita
Arctoa Doris temperat æquoris,
Fluctúque leni murmurantes
Nereïdes Dominam requirunt.
Gens quæque robur sancta recolligit,
Et prava pallet. Nuperus Occidens
Vetúsq; consternatur Eos
Hesperii sonitu triumphi.
Gaudemus atque oramus, & annuit
Æternus Autor, concutitur polus,
Beata cœli turma gestit,
Astráque agunt placidas choreas.

Joan. Luke, A. M. *Coll.* Sidn. *Soc.*

Sic

Epithalamia *Cantabrigienſia.*

SIc Venus orta mari. Surgas *Catharina* Britannis
Clarior è mediis, ſolis ad inſtar, aquis.
Vim ſi vota darent, olim te duxerat aura,
Eſſet & in noſtro fixa carina ſinu:
Aſpice, ut affectu palleſcunt undique rupes!
Prominet ut ſacros terra ſubire pedes!
Geſtit in errantem migrare Britannia Delum,
Poſſit ut ancillans tollere ſyrma tuum.
Quid mora? Quid metuas? Quid turbidus audeat æſtus?
Ni Te fortè maris deperit ipſe Deus.
Extorrem retulit candorem *Carolus* Angſis:
Tu verò Angliacas es paritura Roſas.
Fœcundos auri montes Hiſpania jactet:
Supra Indum & Platam tu Tagus unus eris.
Uſque adeò Heſperius vigilat Draco? Serò reſurget
Cùm fugit rabidas præda ſecunda manus.

F. Robarts, A. M. C. C. C. *Soc.*

IO jugali fœdere dexteras
Robur Britannûm, Luſiadum decus,
Proles Deorum, cura cœli,
Carolus & *Catharina* jungunt:
Par maximorum nobile Principum,
Par optimorum nobile conjugum
Princeps virilis *Carolúsque*, &
Fœminei *Catharina* ſexûs.
Io choreas utraque Gens agat,
Lætâ reſultet voce Thalaſſio,
Et nuptias cœlo inchoatas
Terricolæ celebrare pergant.

Epithalamia *Cantabrigienſia.*

Pax Luſitanos fœdere mutuo
Jungat Britannis; ducito conjugem
Londiniúmque Olyſſiponem,
Aurifluus Tamiſin Tagúsque.

Guil. Leigh, A. M. *Coll. Chriſti Soc.*

TAndem igitur fauſtis tumuerunt lintea ventis,
Eximiâque ferens oneratam merce carinam
Ad cupidas ſpectat claſſis jam concita ripas,
Jam currit properátque volátque celerrima puppis,
Eia, age; quippe diu Rex dulces ſuſtinet ignes,
Nec potis eſt tolerare moras. Tardiſsima puppis!
Ingredere, & portum appulſu propiore ſaluta.
Nonne vides, quoties ſpectans ad littora Princeps
Neptunum incuſat, tuáque, Æole, regna laceſsit?
En, quoties nudâ deluſus imagine ſponſam
Cogitat, ac ſolâ reficit ſua corda tabellâ.
Umbra ſed hæc veris quàm frigida pabula flammis?
Ah! quoties redit ad curas, menſésque diésque
Anxius enumerat, volvítque pericula Ponti,
Et Phorci horribilem reputat Glaucíque cohortem?
Uſque adeò jam tardus Amor? num perdidit alas
Puſio? num cœcus jam claudicat? at ſua tela
Sparſit utrinque puer, flammæque hæc tela ſecutæ.
Forſan te noſtris tua Portugallia Terris
Invidet; an Frater tibi Rex obſtabat eunti
Oſcula mille ferens referénsque? ſuperbus Iberus
Obſtitit, at fruſtrà effudit promiſſa minaſque.
Ergò ades, O *CATHARINA*! Venúſq; impellat euntem,
Orta mari Venus impellat melioribus auris.

Heus,

Epithalamia *Cantabrigienſia.*

HEus, Thamiſi! *CATHARINA* venit: nunc ocyùs undas
Volve, citóque tuo gratiſsima nuncia Regi
Dic, veniſſe Deam: dic, te vectore ſuperbo
Mox appulſurum tam nobile pondus in Aulam.
Videris interea eximio dignatus honore
Nè ſurgas, tumidóque crees diſcrimina fluctu.
Egredere, ô Regina, pedémque in littore pone;
Sponſus adeſt, totos avidis complexibus artus
Miſturus, pariles neque tu celabis amores.
Jámque pari face corda micent, jam nectite dextras,
Pérque Triumphales Arcus, placidúmque tumultum,
Quem tuba, quémque ſonans ingenti machina niſu
Accendet, raucáque augebunt tympana voce,
Per denſas Procerúmque manus, bellíque cohortes,
Pérque urbem populi votis plauſúque frementem
Ite, atque Auguſto luſtrate hæc omina vultu.
At poſtquam ſubducti oculis vulgaribus, ædes
Regia quas toties decoravit purpura, junctis
Intrâſtis manibus, poſtquam vexata choréis
Atria, ſecretíque lares vos tradere vobis
Incipient. O vos, memores quid poſtulet ætas,
Publica quídque petat res, & quæ pignora Sceptrum,
Vivite felices (nec enim ſcio cætera ---) parvus
Quamprimùm in veſtra ſpectetur *Carolus* Aula.

M. Thruſton, M. A. *Coll. Gon. & Caii Soc.*

SAlva venis Regina? tuíſque benigna Britannis
Sedula depoſitum reddidit unda ſuum?
Non ultrà obtineat vaniſſima fabula, Ponti
Immeritò fluxam dicimus eſſe fidem.
Quam metui tantæ Veneris nè captus amore
Neptunus mediis vi rapuiſſet aquis?

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

Quàm metui nè divinæ Thetis æmula formæ
Flecteret in scopulos invidiosa rates!
At frustrà timui demens, tentare carinas
Turbida non ausa est unda, nec aura tuas:
Dum, Regina, natas, fluctus decet esse serenos,
Nempe maris vultus induit unda tuos.
Imperiisq; assueta tuis tibi vela tetendit
Hesperias Zephyri quæ beat aura plagas.
Grata venis nostras dignata invisere terras,
Atq; ea quæ Magnus *Carolus* arva regit:
Non minùs exhilaras Thamisi ventura Britannas,
Quàm Latias Cybele Tibre recepta nurus.
Námq; Deûm matrem speramus te quoque, Reges
Si fas sit veterum more vocare Deos.

Guil. Crouch, A. M. Coll. D. Joan. Soc.

RUmpe moras, clamant Sponsi suspiria, Qui Te
Optato gestit consociare toro.
Rumpe moras, altè clamant tria regna, timéntque
Nè careant tanti pignore conjugii.
Rumpe moras, clamant, quotquot Tibi fausta precantur:
Quid differs læta prosperitate frui?
Quin *Catharina* veni Divina, beanda marito,
Quò poteris populum, Téq; beare simul.
Expectata diu navis pete littora tandem:
Fortunam magni Cæsaris intus habes.
Officiosa nimis Thetis est, junctæq; coronâ
Nereïdes; tardant quippe salute ratem.
Comprime lascivos fluctus Neptune, sciántque
Hanc aliam Venerem, quàm fuit orta mari.

Aspirate

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

Aſpirate leves venti, flatúq; ſecundo
Velorum tenſos accelerate ſinus.
Proſpice Regina, ut conſtipant agmina ripas:
Dignere aſpectu lumina feſſa Tui.
O ter felices, quibus hoc contingit, ocelli,
Te Phœben propriâ cernere luce novam!
Nos, quibus id vetitum eſt, geminamus vota, precéſque,
Ut numeres multos & ſine nube dies.
Æternùm vivant Rex & Regina beati,
Quos Deus, & virtus, & ſociavit amor.

B. Camfield, A. M. *Aul. Pemb. Soc.*

SIc pergis, Rex magne, tuos uſq; uſq; beare
Angligenas, tecum reduces qui pectore læto
Ceperunt leges, libertatéſq; redemptas;
Auſpiciiſq; tuis prædulci pace fruuntur,
Et, quæcunq; parit regnis pax alma, bonorum
Innumerâ ſobole, ſpes ſupra & vota, nec ultra
(Quantumcunq; petax hominum genus, atq; querelis
Addictum ſit) habent, quod tanto in Rege requirant,
Excipiant, *non poſſe* mori, quo nomine ſolo
Eſſe hominem metuunt, qui cætera numinis inſtar.
Quanquam importunis precibus pia turba fatiget,
Poſcentéſq; diu ſibi debita pectora cœlos
Differat, inſtabit tamen inſuperabile fatum,
Atq; aderit quandóq; dies (ô ſerius adſit)
Quo (metuo fari) in terris tot mœſta relinques,
Corda, quot in ſuperis tibi complodentia adibis.
His animos angi curis, Rex optime, noſtros
Non ultrà pateris; ſupereſt nam quæ una medela,

Quæ

Epithalamia *Cantabrigienſia.*

Quâ ſe mortales æternos reddere ſperent,
Conjugium meditando jubes ſperare perennem
In terris *Carolum*, *Carolo* licet aſtra petente.
Conjugium (ratio ſi proferat omen) utrinq;
Auſpiciis cœptum lauſtis; nam cùm omnia ſemper
Prudentérq; piéq; facis, tum maximè in iſthoc,
In quo deſipiunt homines peccántq; frequenter.
Sicubi, Te *pietas* ſimul & *prudentia* laudat.
Afflictam in gentem *pietas* gratiſſima, quam ſub
Rege minorenni viduam, terráq; marí q;
Hinc Batavi preſſere, illinc crudelis Iberus,
Hi procul, ille domi, terris, quas alluit Indus
Et Tagus, & veteri longùm ditione tenebant
Luſiades, rabidis inhiârunt faucibus ambo.
Quîs indignatus meritò, preſſæq; miſertus
Deſpondere paras gentis cum conjuge cauſam,
Atq; illi præſtas una pro conjuge pacem,
Securáſq; domi ſedes, tutáſq; per æquor
Divitias, Phœbo quas fert ab utroq; frequentes.
Sed tamen Angligenis hæc cuncta reciproca magno
(Quæ tua ſumma fuit *prudentia*) fœnore cedunt;
Auriferíq; Tagi Tamiſis diteſcit opimis
Fluctibus, atq; *novam* (quam vulgò dicere) *Trojam*
Nunc animo minimè fallaci inviſit *Ulyſsis*
Urbs vetus, & veteri fert dona carentia fraude;
Nunc & equos noſtras abiegnos mittit in urbes,
Pontigrados, ventrem gazis Orientis onuſtos.
Quin iter extremos hilaris mercator ad Indos,
Herculeúmq; fretum porrò retróque meabit,
Prædones temnens Afros, Turcáſq; rapaces,
Securúſq; nihil, quod ſive Hiſpanus avarus,
Æmulus aut Batavus poſſit præſtare, timebit.

Denique

Denique nunc fidos portus, tutósq; recessus,
Quos appellat habet, cùm sæva procella minatur
Interitum, cœlísq; æquor confundit opacis.
Sed quid ego hæc multo sermone pusilla morarer?
Tu *Catharina* veni nostri pars maxima lucri,
Angliacæ tu classis onus pretiosius adsis,
Quàm tulit Eois unquam mercator ab oris
Occiduísve, veni lætis Regina Britannis;
Ecce tibi Regem dignum te uxore maritum,
Cui patrissantes natos fœcunda, tuíque
Consimiles natas gignas, & utrâq; beatos
Efficias Anglos numerosâ prole, daturâ
(Dii faxint) similes in secula mille nepotes.
Atq; eccam tibi, Rex, sociam soliq; toríq;
Devotam à cunis, quam, cùm civilibus armis
Anglia flagrabat, sacrum & diadema tremebat,
Præsagi metuêre nihil sponsare parentes.
Et quam (quæso) sibi potiùs Rex conjuget ille,
Qui plusquam duo lustrà suis perpessus ab oris
Exilium, tandem; cùm nec sperare dabatur,
Sed nec habere fidem fieri vel posse, repente
Mirificâ prorsus divini Numinis arte
Redditus est, nobísque simul nos reddidit ipsos?
Idem quam thalamis, si non heroida, donet,
Quam sub eo pulchram genuit *Braganzius* heros
Tempore, quo simili virtute Tonantis, avito
Donatus sceptro, confestim fulminis instar,
Spémq; fidémq; ultrà, fasces excussit Iberos,
Post senas annûm decadas, quibus usurpârant
Lusiadûm regnum trinus sine jure Philippus?
Atq; equidem stabunt sæclis monumenta futuris
(Frendeat Hispanus licèt, & fanaticus Anglus)

Epithalamia *Cantabrigienſia.*

Et pater & conjux *Catharina*, nobile Regum
Par, ſtabunt monumenta, ſed & miracula bina,
Quæ ſtupeant ſeri meritò, diſcántq; nepotes,
Quàm ſint cura Dei Regum jus, atq; popelli
Libertas; metuántq; adeò civéſq; rebelles
Arma movere ſuos in Reges, atq; ſuperbi
Dynaſtæ vetitos aliorum invadere fines.

Tho. Leigh, A. M.
Coll. Emman. Soc.

ERgò, quid arcanos ſuſpirat *Carolus* ignes?
Quid, *Catharina*, tuis exoptatiſſima Regnis
Non properas? ſaturas venientis imagine mentes
Tota tenes, quin paſce oculos, ſic vindice vultu
Nulla futura tuæ ſupereſt injuria formæ.
Aſpice, venturæ jactantiùs explicat alas
Ambitioſa ratis, juvat efferveſcere ventis;
Cæſaris & noſtram fers hoſpita corbita ſortem.
Aura levis, placidum Zephyri modulamen, iniquum
Læviget oceanum, qualis Latonia virgo,
Et ſolo Jove nata ſoror, cùm fortè reviſunt
Æquorei ſortem patrui, ſpumantia cedunt
Æquora, caſtarum greſſus venerata Dearum.

E pelago Regina, novis ſic reddita terris,
Naſceris Idaliæ, *Catharina*, ſimillima Divæ.
Heſperiæ pergrata Venus, tua lumina noſtris
Oſtendunt reducis Phoebi veſtigia campis,
Quem comitata diem demum cùm clauſeris, eſto,
Phoſphora, venturo Solis prænuncia mundo.

At

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

At Tu bis senis, ter Maxime Cæsar, ab annis
Exul, & immeritas, alter Laertius, iras
Per sævos fluctus, & inhospita littora passus,
Sume animos, urbs nata tuæ est Lisbona quieti;
Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Iberi.
Jungite, par Regale, pias in fœdera dextras,
Et cùm ter trinos Phœbe numeraverit orbes,
Wallia de Domino celebret sua gaudia, nè sit
Gallia finitimo nimis invidiosa popello.

Phin. Fowke, A. M. *Coll. Regin. Soc.*

ERgò faces accendat Hymen, & thura per aras,
Atque diem sparsum det meliore comâ;
Adferat alma rogis perovantes Lysia flammas:
Exhibeat lætos Terra Britanna choros;
Magna pererratis statuit mens denique regnis
Virgine Lysiacâ fœdus inire tori.
Fixerat hìc etiam sua tela Cupido: jugali
Sic tulit & thalamo pronuba flamma procum.
Hactenus ut cœlebs Majestas regia, gentem
Ipsa sui simili prole beare nequit.
Hactenus & dubiis plebs conturbata susurris,
Aulâque fatali pulsa timore fuit.
At jam, seu indulsit patrimonia Lysia nymphis,
Seu Salicum nodum dissociavit amor;
Lysiacum Angliacæ nupsit diadema coronæ,
Auxit & his vinc'lis alterutrúmq; decus.
Carole macte toris! Bis quinto mensèque tertis
Grata supervenient germina amata Deis.

Tho. Woolsey, A. M. *D. F. C. S.*

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

QUi modo purpureo texit velamine gentis
Angliacæ frontem, generosi sanguinis imber,
(Sidera, vestra fides!) Phœbo redeunte Britannis,
Cæsaris aspectu, fit ros gratissimus: ex quo
Albion evasit formâ pulcherrima verâ,
Et gentis Pictæ poterit vel temnere nomen.
Exoritur nostro nova Cynthia in orbe benignâ
Luce, salutares auras, animósq; rebelles
Pacatos reddens: Redeunt Saturnia sæcla,
Faustáque promittit cuncta hæc conjunctio; Serò
Axe sub occiduo lumen condatur utrumque!

Ad Regem.

NAufraga penè ratis, cui vis Ecclesia vento
Servula; jam Regi, ceu rupi, fixa manebit.
Quæ prope Dagonem posita est, plausúrisque profanis
Arca diu, sacrum *Caroli* transfertur in axem.

Ad Reginam.

ANglia gemmarum quondam gens inclyta laude,
Antiquum repetit, Te veniente, decus.
Unica nempe deest *Carolinæ* gemma coronæ,
Quam dedit Hesperii dives arena Tagi.

Guil. Baldwin, A. M. *Coll. Corp. Chr. Soc.*

NUper Schisma duplex, divisa Britannia toto
Orbe erat, à *Carole* & gens lacerata suo.
Carole, sed reducem te vidimus, atque reductam
Gentem, namque ipsa es tu redeunte redux.
Nec satis hæc: nobis Musa est Epicœna, reposcunt
Cùm laudes pariter Femina Virque suas.

Cœlestes

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

Coelestes vivant Gemini, vigeántque viciſsim,
Hic decus uxori ſit, decus Illa viro.
Æterno jungat nodo pat nobile dextras,
Sentiat & Cypriæ gaudia læta Deæ.

Chreſheld Draper, Armig. è *Coll. D. J. Com.*

FInierat longas tandem laſſata querelas
Anglia, & extremos gemino pro funere luctus
Partita, integrum lacrymis indulſerat animum:
Jámque revolvebant Superi, quò tenderet ordo,
Poenarúmque ingens ſeries, quò vertere gentem
Fata velint, noſtris vixdum ſatiata ruinis,
Majoréſq; diu miſeris meditata Britannis;
Et placuit ſignare modum, quo foedera rerum
Intereunte ſimul pereant, quem fidera ſervent,
Fatorúmq; audax & inexorabile Numen.
Scilicet huc agimur ſtudiis, huc vota, piæque
Sudavere preces, & noſtræ provida genti
Numina, concedant *Carolinis* otia regnis,
Imperiúmq; darent in ſecula ſera futurum,
Parcarum de gente & deterioribus aſtris
Sinceros tandem *Carolo* dignata triumphos.
Parcite vos Superi, ſi jam contracta duobus
Anglorum pia cura, in veſtra Palatia tendit
Mul:a ſuper *Carolo* rogitans, ſuper Hectore multa:
Scilicet audaces timor impulit, unde recurrant
Scire velint nondum ſecuris gaudia terris,
Unde ſuos ſpectet viduata Britannia Reges,
Felicem *Caroli* ſobolem, ſimilésque nepotes,
Luſiadum decus illud erit, quo gloria dudum

Tendit, & occiduo quærit contermina ſoli
Littora, felicésque petit, Te Principe, terras,
Et celebres, *Alphonſe*, Tuis natalibus oras.
Nempe Deo viſum eſt, quos fata ſimillima Regis
Vexârunt, paritérq, diu afflixere Tyranni,
Et quibus æqua recèns cum Majeſtate poteſtas
Contigerat, nullóque redemptum ſanguine regnum,
Jungere concordes felici in ſecula fratres
Connubio, Hiſpanis Par formidabile terris.
Te pretio pax iſta, & fœdera caſta parantur
Auſpiciis, *Catharina*, Tuis, Tu ſola Britannis
Luſiadísque potes longos lenire dolores,
Supplendísque Tuâ pietate expungere faſtis,
Quæ paſſi graviora ſumus civilibus armis,
Et ſcelera, & fraudes; pulſásque Tyrannide leges,
Scilicet una potes noſtro præſtare Tonanti
Reginam, quam pacis amor, quam publica cura,
Et nativa Tuis virtus maturior annis,
Commendant *Carolo* ſimilem, cœlóque probante,
Dignam *Carolidas* cui debeat Anglia Reges.
Hoc erat ergò, Tuis quòd totum prodiga cunis
Ingenium natura, omnésque exercuit artes,
In thalamos præſaga Tuos, tantóque Marito
Lætata eſt finxiſſe parem, dignámq; Monarchâ.
Jámque eadem Superos, fortunatiſſime Princeps,
Cura Tui exercet; cœlo ſpondente ſerenum,
Sternis iter, facilésq; vocas in carbaſa ventos.
Aſpice, quàm prompti ſubſidunt æquore fluctus,
Neptuno lævante Tuæ veſtigia claſſi,
Et Dominæ famulante novæ; Tibi vapulat antris
Africus Æoliis, vinctíque in carcere nimbi,
Dum ſecura maris noſtrum contendis in orbem.

Sic

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

Sic nova lætandi series, gentísq; recurrunt
Priscus honos, & fama, catenatíque triumphi,
Téque simul comitata novo splendore refulget
Alma dies, nullis unquam obducenda tenebris.

Isaac Craven, A. B. *Trin. Coll. S.*

EN! dextro simul & Paphio venit alite Nympha,
Edita Lysiaco stirps adamanda solo.
Flexilis unda Cami, atque imitata Cupidinis arcum
Gratatur flammis officiosa Tuis.
En! liquidum nunc reddit onus cadus ocyùs omnis,
Enixus foetum, Cæcuba vina, suum.
Implet Hymen buccas, lætúsque Thalassius ora,
Inter thyrsigeri munera pressa Dei;
Scilicet effundunt meliùs genialia verba
Pectora permulto commadefacta mero;
Compensat Cyprium Bacchus, nam luminis alter
Expers, hic contrà bina videre facit.
Innumeras struxere pyras Tibi, *Car'le*, Britanni;
Hoc tentant flammas more referre Tuas.
Quidni etenim cunctos submitteret illico fasces
Anglia, cùm *Carolum* sentit adesse suum?
Ignes jámque suos Princeps populúsque maritant,
Mista est communi Regia flamma foco.
Morbida quin Anglos rapuit modò flamma, caloris
Sic pariter gens est æmula vestra Tui.
Ipsa nec exosa est Hymenæos Insula nostra,
Quam nuptam Oceano, Lysia virgo, vides.
Connubialis enim velut Annulus Amphitrite
Angliacum vasto circuit orbe solum.

Omnibus

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

Ominibus ditatus Hymen felicibus adsit,
Una præest thalis divitiisque Dea.
Aulam progenie *Carolus* foecundet, avitæ
Telluri *Carolos* sufficiatque novos.
Filiolis & uterque suis jam computet æva,
Pignore signatus quilibet annus eat.
Ergò age, Lysiadum soboles, incendia nostra
Lactéque restinguas, Regia Sponsa, Tuo.
Dent inter sese dextras Trinobantis, & illa
Urbs ab Ulyssæo nomine nomen habens.
Angligenûm genti Cyprio sociabitur Isthmo
Tellus, auriflui quàm fluit unda Tagi.
Granta simul feriunt celebrisque Conimbrica foedus,
Commiscent lymphas Monda Camúsque suas.
Lusimus (en!) Vestros numeris levioribus ignes:
Sic visum est veteri spargere more nuces.
Ignoscat *Carolus* submisso poplite Musis,
Porrigimus vinctos ad Tua vincla pedes.

Aliud ad Serenissimam Reginam.

MIretur, Princeps, quid sit cum Cypride Musis,
Præpete quòd calamus Numine noster agat;
Ægrè etenim scandit Parnassia culmina cassus
Luminibus, nullum passa Minerva virum est.
Intactæ Musis stant virginitatis honores,
Nulla Caballino fonte creata Venus.
Ignotus Puer est Pimplæi ruris alumno,
Friget Amor gelidis sic Heliconis aquis.
Verùm, cedat Hymen: tædas quatit (ecce!) jugales,
Accedítque toris pronuba Granta Tuis.
Ad Vestros sperat thalamos deducere cœlo
Carmine Lucinam posse Thalia suo.

ΕΠΙΘΑ·

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

ΕΠΙΘΑΛΑΜΙΑ.

Ὡς ὅτε ἐς Ὠκεανὸν πολαμοὶ τεγέωσιν ἅπαντες,
Οὕτω πρὸς Κάρολον ξυνιὼν πρόσωπα κλυδάζον
Χαμάδις, πάπας καὶ συμβάλλωσιν ἀοιδάς.
Ἔτλεο Βρεττανικῶν ἐλπὶς Σύγ' ὁρισμά τι λαῶν,
Ὅς ποτε νοσήσας (νυ θεσπεσίων σιαυτῷ)
Παλεὶς' ἐς ἰμερτὸν καὶ σὸν βασίλειον ἦλθες
Κλισμὸν· ἔχεις Σύγκλητον (ἐπεὶ καὶ πάντα πέπονθας)
Παγχρύσας ἁρπαῖς, καὶ ὅμως πατρῷον ἀρχεῖν.
Γαῖαν ἐς Τιμέσιδαν παλινδρομῶν (ὀΐομαι δ') ἵκανες,
Γαῖα καὶ Ἀγγλογενῶν ἅμα Τοι ἦ παλίλεγχος ὄζει.
Ζεὺς ἀρ' Ὀλυμπιακὸς χώσειν φιλόπλι πέλασσεν
Ἀλλοδαίαν, νήσων τ' Ἀγγλῶν φίλῳ ἰαμῷ ἐρωῆ.
Δεῦρ' ἄγε, Καλλιόπη, Κυθερείας θέσπι' ἐείσω,
Νυμφοκόμον καὶ Σκηπτοῦχον ὑμέναιον ἀείδε.
Εἰπὲ, Θεὰ, Καρόλοιο γέλω τε καὶ εὐκλέα κῦρος,
Κύριλλον νυμφιδίλιον ἄλεκτρον τ' ὁμοδήμιον ἔσσαν.
Κείνη μὲν χαλεπῶσα, καὶ ἔπλετο παρθένος ἀγνὴ,
Καὶ καθαρεύ' (ὅσσον ἔοδεν κλυτὸν ἄνομά φησι)
Ἀδμήτης τ' ἱερῆτε, δίδυμερες ἅμμα λαχοῦσα,
Κυδίστων γενεὴ θελκαλλὴς Λυπλανῶν.
Κεῖνος δὴ θεὶ πολλὸν ἀεικέσσας βασιλήων,
Ζωὸν καὶ ψυχὴ Βρεττανῶν, ἀγαθός τε μέγας τε,
Παύροισιν ἀρίστην ἀγακλεὴς θεὶ λαῶν.
Ἀμφοτέρων περιδίαις δόιν Θεὸς ἐνδόμυχον πῦρ,
Καὶ σίδεσιν καλὸν φιλόπλια καὶ ἴμερον αἰεί.
Κύπελος ἔρν' ἐραεινὰ, φίλα καὶ φίλεσα γάμοιο
Εἰδοῦτες, τε καὶ πάμπροσε κύλεσσιν ἔρωτος,
Μειλιχίης ἧδος χαλεσαίμον ἀνδος ἔχειεν.
Εὐχόμεθ' εὐγενέων παίδων ἐπὶ παύροις παῦδας
Ἐσσομένους μεδοπιδεῖν ἐν ἐρχομένοις Βρεταννοῖσιν,
Αἶδιον καὶ Κρείοντων μέγα χάρμα τυκήων.
Ἱμερδὴ Νύμφη, σύγε κυανοδίνη ἦρ ἔασα
(Τὰ δ' ἄεσα πυμάτου δεκάτοιο κυλινδόμενος)
Ἐμβρυον ἔτλη φέρειν ἀγκύμονος ἐνδόδι γαστρὸς,
Ἴκτε, κλυδὰς ἀυγὰς εἰς ἠελίοιο διδοῦσα,
Παντὶ χαλεζομένη καπῷ, μάλα δὴ παρακοίτῃ,
Ὅτι τέκες Καρόλῳ, Καρόλῳ τ' ἐπιείκελα τέκνα,
Εὐχόμεθ' ἀ ῥηΐτον δεσμὸν δαλερῶν ὑμεναίων
Θεογενεῖ Βασιλεῖ, καὶ δία θηλυτεράων.
Οὐλύμπου βασιλῆι πάντεσσι βροτοῖσιν ἀνάσσειν,
Τιὼ μὴ ὀπιθρωσίμεν Καρόλῳ Σολομωνίῃ ἔδνα,
Αὐτὰρ ἀπειρέσιον πλοῦτον καὶ χήματ' ὀπάζειν.
Ἀμφοτέροισι μάκαρες νύμφη καὶ νυμφίῳ ἔστε,

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

Πνεῖοντες γλυκερὰς φιλότητας γήραος ἄγρι,
Ὄφρα Θεοῖσι μετ' ἀθανάτοισιν ἀείθμιοι ἄμφω
Οὐρανὸν ἐς λαμπρὸν Καρόλοιο τ' Ἄμαξαν ἵκησθε.
Εἰς δὲ τὸ πλεῖον ἐγὼ ζυγίην ἱερὴν μακάριζον,
Ὑμετέροισι γάμοις καὶ ἐπευφήμησαν ἅπαντες,
Ἀλλ' ἔνι νυμφιδίων θαλάμων ἀδίδακτος Ἀθήνη
Οὐ μὴ παρθενικαῖς Μούσαις ἐπέοικεν ἀείδειν
Κύπριδα, μηδὲ γάμων θεσμοὺς ὑμνεῖν ἐπέεσσι.

Joann. Edwards, A. M. *D.* Joann. *Coll. Soc.*

Ad Sereniss. Augustissimúmque Monarcham CAROLUM,

De extincta nupera Tyrannide, & ab auspicatis Nuptiis sperata nunc Regni felicitate

ΘΡΙΑΜΒΕΥΤΙΚΟ'Ν.

DUm subit istius fœdissima,* Pestis imago,
Qui Tua fœdavit sanguine, quíque Tuos;
Dum subit horrendi facies *Syllana* Tyranni
Sanguineis minii commaculata notis,
Quem peperit certè *lynx* torva, aut sæva *leæna*,
Cui mammas Furiæ supposuere suas;
Quo dominante suas abjecit territa lances
Astrea, scelerum victa pudore, lares
Quæ tunc Angligenum conspurcavere; piandum
Morte gravi facinus cùm foret esse bonum;
Et *Caroli* nomen vel linguâ efferre, Tuorum
Auribus atque ori *mel*, paritérque *melos*;
Cùm mente hæc reputem, *Themidos* sanctissima jura
Restaurata, suis turba *novena* locis
Reddita, Doctorum &, qui supplent rostra, catervæ;
Quíque colunt purâ simplicitate Deum,

* O. C. *Quem vel nominare pudet, opprobrium, propudiumque hominum.*

Dum

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

Dum ſimul occurrant hæc ſuccedanea læta
Triſtibus infandis, & bona plura malis,
Pertentant cordis trepidantes gaudia fibras,
Mens *ſalit*, atque alto lingua ſtupore *ſilet*.
Ecce novam *Geneſin* poſt ἔξοδον iſtius atri
Nechonis, ſub quo congemuere pii.
Omnia mutantur: *Fortunæ* hic ludus amicæ,
Inſtabili alternas quæ rotat orbe vices,
Et ſcenam invertit. *Megapenthes* iſte Tyrannus
In *Stygia* plangit jam ſua fata domo;
Quin Tu ſacratâ fulgens *Charilae* coronâ,
Et cum divina conjuge lætus eas.
O quantis diſtant paraſangis *Optimus* atque
Peſſimus, hic Satanæ cultor, at ille Dei!
Tartarus & *Cælum* faciunt diſcrimina, juſtos
Hoc manet, is *Parri*^{u}- pœna parata -*cidis*
(Oro *Proſodiæ* & *Tmeſi* veniam, utraque falſos
Menda, bipartitos Schiſmaticósque notat).
Dénique *Querna* domus *Caroli*, quam ſella curulis,
Dedecorâ, excepit quæ *Diadema*, fames,
Et ſitis, exilium, charorum funera, veſtris
Hæc niteant animis triſtia, dura, dein
Diſcite mortales exemplo *Principis* almi
Optima patrare, & peſſima quæque pati.

Sors hæc eſt Regum, & Chriſtianorum
Deodatorum, Deóq; dantium
Corda cum nominibus:
Hæc *Chriſti* fuit, itémque *Caroli*
Primi & Secundi, *Patris*, & *Filii*,
Poſt *Chriſtum* & natos uſpiam homines
Certè Optimi, Maximi.

Cui æternam, & non marcessibilem
Agonothetes in cœlis nectat Deus
Coronam, atqui post longum-- supplices
Musarum *Mystæ* nos ex animis
Rogamus obnixè, & clamabimus,
Vivat, æternùm vivat *Carolus*,
Consortio diu fruatur *Conjugis*,
Et numerosâ prole beet *Angligenas*.

Ad eundem. ΕΠΙΚΤΙΚΟΝ.

QUi lympham Baccho miscendam suaserit, inquit,
Sit Dea juncta Deo, sed Dea major eo:
Scandere quæ thalamos dignata est, *Carole*, vestros
Sit *Dea*, quòd *Tua*; sed, *Maxima*, major eâ
Sceptriger, & Dominus, jure appelleris. Amantes
O sitis animo, & Religione pares.

NOn patitur binos *Regnum*, nec *Regia* soles
Cœ'estis, quin *Rex* consorte fruatur amoris
Atque tori. Nostris pax & concordia ab *Ilva*
Emicuit terris: Quid ni speremus ab *Ilva*
Progeniem lætam, quæ pacis vincla, paternæ
Sint quoque fulcra domûs?

Hâc prece vivimus,
Hâc spe fulti, lætique læti,
Omni & timore liberi
In *portu* (quod *pius*) navigabimus.

R. Boreman, S. T. D. Coll. Trin. Soc.
Præsentis

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

PRæsentis sec'li cùm prospexisset abundè
Votisque Rex & commodis,
Pace datâ nobis, & libertate reductâ,
Jure, & seipso redditis;
Projicit in seros divinæ lumina mentis
(Quò beet & hos quoque) posteros;
Alter ad hoc, magnum referens virtute parentem,
Deest Britannis Carolus,
Qui regni justo moderamine sceptra paterni,
Manúque molli temperet:
Ergò suo dignam amplexu, dignámque beato
Toro requirit conjugem,
Cui genus, & virtus, & possit forma mereri
Tantum (mereri ut fas) virum:
Nulla placet nisi quam suprema laude celebrat
Canora famæ buccina,
Nympha, Lysitanæ sturpis venerabile germen,
Lux summa fœminei chori,
Regum nata sorórque quibus pars optima magni
Se debet orbis cognitam,
Pérque omnes quorum terras diffusa potestas
Connectit Eön vesperæ,
Auriferíque Tagi pretiosis addit arenis
Locupletis Indi copias:
Cujus & illustris virtus natalibus altis
Fulgore certat æmulo,
Ac rosei vultûs longinquos gratia Reges
Flammâ potenti vulnerat;
Denique talis, amica poli quam cura videtur
Debere soli Carolo.
Auspiciis igitur coeat felicibus unam
Par Regium in propaginem;

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

Corpora faustus Hymen jungat, concordia mentes
Nectat perenni copulâ;
Plurima quam validis constringant pignora nodis,
Vivæ parentum imagines;
A quibus evadant olim tam fec'la nepotum,
Quàm nostra ab his, felicia.

Guil. Lynnet, Coll. Trin. Socius.

Dii faciles favêre tuis gens Anglica votis,
Aspectúque favent sidera juncta suo;
Deliciæ eja veni terræ plausúsque Britannæ,
Eja bea vultu nos Catharina tuo.
Albion eja veni ingeminat, teque aula procatur
Alba, & servire est ambitiosa tibi.
Pergite Dii cœptis, & sit feliciter oro;
*Unió*que in Caroli stemmate gemma micet.
Impare gens numero nuper vexata Britanna est,
Jam sapit, atque suos gaudet habere *Pares.*

F. H. M. A. A. Trin.

STertis adhuc heu tarde nimis Pater alme dierum:
Alipedes jungantur equi, conscendito currum,
Des mundo radios, ad propria regna repellas
Damnosas tenebras, nec enim felicius unquam
Sollicito pergrata dies caput obtulit orbi.
Ducite de tecto mea carmina, ducite Regem.
En! cœlum clangore tubæ, raucéque canentes
Campanæ lacerant, quas leni temperat aurâ,

Et

Et suavem citharis Bassum reprimendo Tenorem
Efficit Amphion, qui cantibus omnia compler.
Ducite de tecto mea carmina, ducite Regem.
Utque voluptates dolor, & discordia cantum
Rarior emendat, sic hæc quoque musica cunctis
Fit numeris perfecta suis, hinnitibus aucta,
Quos vomit insultans, fræni spumosaque mandens
Cyllarus æra sui, sic omnis gaudia prodit
Plena sinus, sic sic genialia jura libenter
Carole culturum te Juno Britanna salutat.
Ducite de tecto mea carmina, ducite Regem.
Alite felici Rex augustissime Regum
Effice, ut ista tui vacui querimonia lecti,
Quæ nos sollicitos tenuit de Rege futuro,
Exulet, & sacrâ natorum stirpe beatus
Ipse Pater patriæ meliori jure voceris.
Ducite de tecto mea carmina ducite Regem.
Egreditur pia turma amplo splendore stuporem
Injiciens, tenebræ numiâ de luce creantur:
Ite leves calami; quæ prima vel ultima narret
Carminis ordo mei, quando hic majora Maronis
Arte, vel humanis aspectibus omnia fulgent;
Ducite de tecto mea carmina, ducite Regem.
Si ad lævam flecto, bellorum gloria lances
Justitiæ feriunt oculos: nam Carolus hæc sunt:
Si dextram aspicio (sociâ feliciter auctam)
Florida divinæ video compendia formæ
Atque pudicitiæ, quæ te Catharina beatam
Efficiunt, & ab his quid non sperabimus Anglis?
Ducite Reginam mea carmina, ducite Regem.
Hoc age; jam demùm sacris accedimus aris,
Et generosa piæ conjuncta est dextera dextræ,

Quod

Quod felix faustumque! ô terque quaterque beati,
Quorum ante ora stetit, templi sub moenibus altis
Perpetuum feriens Divum par Nobile foedus.
Ducite de Templo mea carmina, ducite Regem.
En redeunt! graviorque mihi jam musa vocanda est
Ad partes; quid enim, tellus, tu sola theatrum
Tot capitum fies? sunt haec spectacula prorsus
Æthereis ignota plagis: celeberrima regni
Negligit an nescit nostro conterminus Orbis
Carole gesta tui? quisquamne severior altis
Indixit genius taciturna silentia coelis?
Ducite de Templo mea carmina, ducite Regem.
Quin summos conscende polos, divina theatra
Inspice, & invenies hodiernae conscia pompae;
Nam fieri quis posse putet, quod tanta supremis
Congeneri coelis cumuletur gloria Regi,
Omnia quin recinat nostris bene consona terris
Angelici lyra quaeque chori? quae musica sola
Principe digna meo est? hoc concinente Theatro,
Ducite de Templo mea carmina, ducite Regem.
Hìc mihi per liquidi coeli spatia ampla vaganti
Vox audita fuit, (nec scire interfuit unde)
Majori humano quae talia protulit ore:
Cognati si Regis amor, si nobile sacrae
Fœdus amicitiae Regni fundamina firmant,
Si Rex, qui sanis fautor, medicusque benignus
Civibus infirmis, timor aut stupor Orbis habetur,
Floreat aeternùm pergrata Britannia coelo.
Ducite de Templo laeta agmina, ducite Regem.
Carole, cum thalamis de fertilitatis honore
Certet terra tuis, dum coelum fronte serenâ
Utraque conspiciet, nec summa, nec ima recusent

Inservire

Inſervire tibi, quem mox numeroſa minorum
Progenies Divûm fuerit confeſſa Parentem.
Cætera, quæ fari nequeo, taciturnus adoro.
Duximus ad thalamos, ſileant mea carmina, Regem.

Mich. Stanford, Ch. Coll. Socius.

NOn decet imparibus verbis, Regina, triumphos
Infandos renovare Tuos in carmine vincto:
Omnia, Te ſponſâ, vel Cæſare digna Britanno;
Plurima Regna Tuos Hymenæos æmula tedis
Illuſtrant; augent ſacras quot lumina flammas,
Lumina tam multi proavi quæ clara dedere
(Lampade ut æterna) date lucem accendere luce,
Prole novâ; ut ſanguis, Carolo pro Martyre cæſo,
Multiplici veſtro reparatus ſtemmate creſcat
Longâ progenie; Quorum omnis Principe dignus
Nectat amicitias, totum & Tibi vinciat orbem:
Tot gentes Regina ferat foecunda Britannis
Quot Carolos Carolo; Caroliique dabuntur in ævum.

Edw. Rayney, Coll. Jeſu. Commenſal.

Ad Sereniſſimam Reginam.

VIndicat amplexus dum Rex, nos turba moleſtè
Officioſa, tuos volvimur ante pedes.
Poſt reducem Carolum, viduo gratiſſima regno,
Quódque unum Regi defuit, uxor ades.
Dura, nec in caſtris Carolum ſine virgine tutum,
Nec ſalvum in ſolio proſpera fata ſinunt.
Cùm tamen attuleris Regi regnóque ſalutem,
Non eſt quam dederit foemina, prima ſalus.

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

Innumeras vidit variis de gentibus, unam
Te dignam thalamo credidit esse suo:
Non illum admotæ tetigit vicinia formæ,
Tu poteras nondum visa placere magis;
Sævit in absentem, sacrámque accendit amoris
Vivida, longinquo è littore, flamma facem:
Tanta è longinquo si sit contagio, quanta
In Carolum flammæ vis propioris erit?
Cùm sceptra assereret Braganza, Hispania sensit
Damna, sed abscessu damna minora tuo;
Ægriùs has dimittit opes, graviúsque minatur,
Dum pudet avulsam te sine Marte pati.
Ast Aquilam Austriacus nostri sciat esse ministram
Fulminis, & nostrum plus colit illa Jovem.
Divitias aperit bello, pensare quietis
Nec plac.t aurato vellere damna tuæ.
Hesperidum Alcides, Colchorum raptor Jâson,
Mala eadem profert India, vellus idem;
Miles amat causam populo cum divite belli,
Alciden simul ac Jasona præda facit.
Non nisi per nostras Lisbonam læserit oras,
Per nostrumque iter est ad tua regna latus
Sollicitos depone metus, secura jacebis
In thalamo, duplici vindice, Fratre, Viro.
Δῶρον Jacobus, Carolus dedit εἰκόνα, libros,
Festina in partus, & simul ede duos.
Donum ingens, nostro quo non Regalius orbi,
Quæ venit ex utero Regis imago tuo;
Non ultrà petimus, non est quòd vota fatigent
Coelos, cùm tu de Virgine Mater eris.

Thomas Hill, M. A. Trin. Coll. Socius.

Hem.

Epithalamia *Cantabrigienſia*.

HEm! Siſte currus! integros nondum meruit
Anglia triumphos. Quid *Vigorniæ* fugam,
Tectúmque clypeo numinis charum caput;
Quid ſoſpitem, reducem, ſacro diademate
Auctum crepamus *Carolum*; ſi ſpes tenui
Felicitatis tota pendeat colo:
Ejúsque, Fratríſque evoluto ſtamine,
Mox cædibus, flammis, ruinis, ſacrilegiis
Revolvimur, ruimúsque in antiquum *Chaos*:
At euge! tandem grata ſors diem attulit,
Qui ſolvit animi pendulos, & lætitiam
Spondet perennem. Regii Conſors thori
Apparuit, quæ *Carolini* ſtemmatis
Vetet ruinas; & Diis chariſſimam
Æternitati conſecret proſapiam.
Horrendus atrâ nocte cùm fremit *Africus*,
Cœlúmque ponto miſcet iratus *Aquilo*,
Trementibus ſi fortè junctæ *Tyndaridæ*
Affulgeant nautis, triumphant ilicò,
Polúmque quatiunt ſtrenuo celeuſmate:
Agnoſcat omen dexterum *Britannia*,
Orbi ſuo ſplendere jam *ſidus geminum*.
Portenta fauſta! det Deus, ut, in poſterum,
Haud pereat unquam noſtra naufragio ratis.

Guliel. Cook, A. M. *Coll.* Jeſu *Soc. & Acad. Taxat. Sen.*

LUx feſtiva Anglis, quâ te, *Catharina*, videre eſt,
O conſors *Caroli* digna futura toro;
Euge Anglis; quamvis ſua Luſitania regna
Det, quàm cùm dederit te, dabit illa minús.

Aud. Hughes, *Aul.* Trin. *Soc.*

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

QUæ mare divisit tumidum distantia *Regna*
Junxit *Amor*, precor ut jungat & una *Fides*.
Sam. Owen, Aul. Clar.

ASpera jamdudum quæ regna exercuit ambo
Sors, nunc felici fœdere jungit Amor:
Singula fortunam poterint si ferre malignam,
O quàm juncta valent jam meliore frui!

QUæ modò plorantem repetito funere gentem
Aspexit, fudítque rudes in carmina plaustus,
Cæsaris ecce iterum magnos visura Penates
Musa audax lætis sese immiscere choreis
Gestit, & assequitur præeuntes murmure pompas.
Te, Dea digna Jove, & nostro paritura Tonanti,
Quam parili triplices Parcæ cinxêre coronâ,
Te videt, atque tuos spectat præsaga nepotes.
O si nunc, Regina, Tagus per carmina vestrâs
(Fabula quem vano ditat pretiosa metallo)
Effundat veros latices è divite vena:
Aurea perpetuo manarent secula versu:
Atque mihi totum spirarent pectora Phœbum:
Garrula res amor est, sesèque ingentia produnt
Gaudia, & angustas animi aspernata latebras
Certa foras exire juvat, vultúque fatentur
Indice depositum: cunctis plaudentibus unus
Fit situisse pudor, tacitíque infamia voti est.
Ipsi etiam cupido surgentes vertice fluctus
Certatim jactant properanti basia puppi,
Præsentem testata deam, dominámque fatetur
Blanda Thetis, suppléxque piis admurmurat undis.
Divi lætantes aderant, & gaudia nostra
Participes sensêre, licèt Venus ipsa ruberet
Te Venerem mirata novam, nec luce minores

Præbe-

Præberet radios mortalis gloria formæ.
(Non aliter gemini diverso cardine soles
Affulgent, dubiæque premunt vestigia stellæ
Quem faceret Natura ducem) Tunc Cypria diva
Clara, ait, O virgo superûm gratissima cura,
Sponsa veni; túque O terrarum maxime Princeps,
Sponse veni: nunquam tali connubia tedâ,
Aut majore deûm studio accelerata paravi,
Jungite concordes æterna in foedera gentes.
At tu, chare Deis Princeps, cui tempora signant
Majestas & Amor, magnæque modestia frontis,
Jam curas depone tuas, ac prælia tantûm
Nostra para, quo vultu olim excepisse rebelles
Gaudebas domitos; cui quisquis poneret arma
Civis erat, vicítque ipsum clementia bellum.
Imperii prægrandis honos jam dulce renidens
Spargat mite jubar, quod sceptri emolliat iras,
Méque meum Martem paulò dimitte magistrâ.
Túque, O quam poscit Tethys dominámq; nurúmq;,
Virgineos depelle metus, regina: maritum
Fata dedêre tibi, quem propter læta Dianam
Deseruisse velis, cui zonam solveret ipsa,
Atq; lubens nostri coleret mysteria regni.
Accipe quem nullæ temerârunt pectora flammæ,
Quíque tuo primos de nomine concipit ignes,
Quem generum exoptat multo sibi regia voto
Quælibet, ínque tuos servat fortuna calores.
Sic tibi progeniem facilis Lucina paternâ
Majestate notet, maternáque ludat imago:
Ora per, & similes accendat gloria vultus.
Quin tu, quam mediis Nereus complectitur undis,
Insula pande sinus (jam fortunata) tuósque

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

Excipe, quos largum cumulat tibi numen, honores.
Stemmatis antiqui titulis ac ordine longo
Illustres coiere domus, sceptrisque datura
Pignora, venturum late spargenda per ævum.
Vosque mei vates carmen properate secundum,
Festinant etenim nascentia fata futuri
Principis, & longo ducunt simul agmine reges.
Dixerat; assensere Dei, fit exilit omen
Ingens: arripiunt anni, immensosq; triumphos
Suspendunt gravidis venientia tempora pennis.

Fr. Bridge, A. B. *Coll. Trin. Soc.*

ENse tori medâ legati in parte locato,
Connubii Regum nectere vincla solent,
Reginam at clausis nunc Jani (*Carole*) portis
Semoto possis ense fovere sinu.

Fra. Dorley, C. Regal. Soc.

LOngùm vota damus: longùm spem fallimus ægram
Ancipites, fessisque oculis spectavimus æquor;
Cùm tandem, emenso pelago, pulcherrima visu,
Tanquam *Aurora* rubens, pedibusve argentea *Tethys*,
Surgit ab *Oceano* Regina Britannica, gaudens
In thalamos properare novos: jam cuncta triumphis
Misceri videas; jam concava littora lætos
Ingeminant strepitus, quos saxa sonantia gyro
Multiplici referunt, vocemque ad sidera torquent.
Agglomerat se turba frequens: en compita fervent!
Et, quacunque juvat contendere, semita multo
Pondere pressa gemit; longo stant ordine turmæ

Dispos-

Dispositæ; quisque ut tantæ miracula formæ
Intentis oculis, avidóque exhauriat ore.
Haud aliter quàm cùm radio rutilante Cometes
Igneus exarsit, vel cùm nova stella refulsit
Sidereo commista choro, statim agmine facto
Prorumpit plebs tota foràs, ardore tuendi;
Luminéque immoto liquidum vorat Æthera, viso
Néve carere potens, nec mentem explere videndo.
Ipsa sed imprimis, gemmísque insignis, & auro,
Emicat incessu, Cyanus, flammánsque Pyropus
Exornant illustre caput, radiísque coruscis
Insolitam fudere diem; stupet arduus æther,
Miratúrque suis in terris lumina nasci,
Æmula sideribus, rutilóque æqualia *Phœbo*.
Addunt se comites, quot *Lusitanica* tellus
Aut genere, aut opibus celebres, aut flore juventæ
Edidit illustres; quicquid *Neptunus* in imo
Condidit Oceano, quicquid divisa beatis
India visceribus premit, aut flagrantior æstu
Africa terra coquit, *Libyeísque* recondit arenis.
Hîc congesta micant: tali comitata catervâ
Pergit in occursum Regina, atque agmina jungit:
Qualis ubi, sumptâ pharetrâ, jaculísque, *Diana*
Virgineo stipata choro, *Dictæa* per arva,
*Idaís*ve jugis graditur, fortè obvius ipse
Frater *Apollo* venit; mistas jungúntque choreas;
Hinc ardent *Dryades*; glomerantur *Oreades* indè;
*Cretés*que, *Dryopés*que simul, *Nymphæ*que decoræ
Festa agitant, junctísque manum solvere lacertis
Anglica sic pubes, & *Lusitana* juventus
Circumfusa choro, totis fremuere catervis;
It cœlo strepitus, resonat clamoribus aer;

Et ſylvæ, ſaltúsque novo tremuêre boatu.
Dúmque viam rapiunt ad celſa Palatia Regis,
Axe Triumphali, Vota hæc plauſúsque ſequuntur:
Floreat æternos celebris CATHARINA per annos.
At verò, Rex magne, quibus tibi fauſta precari
Auguriis opus eſt? tua quot ſponſalia lætis
Auſpiciis veniunt? Dicámne *volâſſe Columbas*?
En tibi pulchra ſatis, *Milvus* quam terret *Iberus*,
Ad tua Tecta volat, (*Tua Candida Tecta*) Columba!
Nec fruſtrá memorem, quod *Ulyſsippone* vetuſtâ
Duxeris exortam: ſic, qui velut alter Ulyſſes
Exul eras olim, variíſque erroribus actus,
Invenies tandem formâ, vultúque potenti
Penelope ſimilem; multâ quæ prole parentem
Te faciet, caſtósque tibi ſervabit amores.
Quid quòd *Opes* ſperare licet, non omnia lævo,
Conjugio tali? fiet meritò *Anglia* dives:
Ipſe *Tagus Thamiſi* nubit, propriúmque fluentum
Tradit, & auriferas Sponſo concedit arenas.
Ergò fatidicæ liteant oracula turbæ,
Quæ toties *Flammásque, Facésque* ex æthere viſas
Signa infauſta canunt: tandem *Mirabilis Annus*
Certius omen habet, *Carolum* cum conjuge pulchra
Fœdere conjungens: thalamum, tedáſque jugales
Prædixêre *Faces*, Superíque oſtenta dedêre,
Clariùs ut pateat *fieri connubia cœlo*.
Huc igitur cupidis tandem, Rex optime, votis
Volvimur, ut thalamos faxint tibi Numina fauſtos,
Queis nova progenies ſolio ſceptrísque Britannis
Succedat, niveâ *Titan* dum lampade terras
Luſtrat, & aurato ſplendeſcit *Cynthia* cornu.

Carolus Darby, A. M. Coll. Jeſu Soc.

Qui

QUî fit, Dive, sacri tam longa vacatio lecti:
Tantæne ambages tantis amplexibus hæcce
Pompa verenda moræ, sacer ambitus atq; procandis
Sancita in summis aiunt connubia cœlis,
Res gravis, at via longa, diu expectare necesse.
Quid cunctaris Hymen tua plectra aptare choreis,
Dignáque maturis solennia reddere tedis?
O Veneris pennate Puer, quis contigit alis
Viscus? detinuítne tuas rubigo sagittas?
Flexilis arcus adhuc, & adhuc pendentia filo
Lumina, subtilíque acie pertendis ocello
Rubricam, nec corda sacro sacra vulnere tangis?
His Amor ingemuit, nimis ah nimis, inquit, in alto
Regia corda jacent, nostris nec pervia telis!
At Regale Tuum, Rex invictissime, pectus
Pandere digneris, dea síque illustrior ulla
Adsit, Tu proprii referes sacraria cordis;
En satìs Augustum solium pro compare, tutâ
Sede licet nullum patitur Cæsárque priorem,
Possit habere parem; sic fortiùs ibit honoris
Vis unita Tui, Majestatísque verendæ:
O nimis à patrio passus divortia Regno,
Dum viduatus eras per tædia noctis opacæ,
Ipse maritatis dilectis exul ab Anglis,
Carole deserto jacuisti hinc frigidus ostro;
Quin desponsatis Regnis modò redditus Ipse
Te Tibi redde, sacro lateri simul addito costam,
Integer ut fias: sors desinat improba tandem
Fortunas mutilare Tuas, invita, Minerva
Nulla Tibi, aut dubiæ metuenda pericula formæ;
Ecce boni vultus, quamprimum tempora fandi
Tu facis, haud simulare moras, mentitur iras

Nec responsa velint (infida oracula) certis
Optatis offerre Tuis; En pectora præstant
Ignibus officiosa sacris, ardere voluptas
Martyrio tali; ambitio tenet undique gentes
(Sive Tuas metuunt iras, cupiúntve favores)
Vestræ huic Vestali sua dent ut pabula flammæ.
Attonitúsque stupet mundus, quos ista beata
Sors manet, ignarus fatorum & fluctuat anceps
Spémque metúmque inter, (diis ut solenne) latere
Mortales decreta solent, mox edita factis
Conspicienda suis; sic ut priùs abdita tanto
Suspicienda magis; sic dum celavit amores
Lusit in Angliacis Carolina potentia rebus.
Exposito imperii arcano jam *visa, videnda*
Diva *veni*, *Tria verba* jubent, *tria regna triumphant*:
Si priùs & *vicit*, quàm *viderat*, indè videndum
Imperio quàm cuncta regit suavi atque potenti:
Cùm nec adhuc venit, tamen Hanc potuisse videri
Arguit Hoc, in sceptro oculus, globus & quia juxtà,
Nil mirum totos orbes à rege videri.
At quid si vultum tabulis quæsivit ab umbra
Tantus amor; quinam venient à sole calores?
Aspera jam solitos deponit bruma rigores
Adventu recreata Tuo, vernóque tepore
Gaudet; conjugiis aderunt miracula vestris.
Mortalis Divæ adventum celebrare vocamur
Mortalis simul atque Dei: Quæ littore solvens,
Ut sponso pariter devinctos solvat amores,
Nereïdes, blandæ Sirenes, totáque ponti
Turba novam stupuere deam, vultúque pudenti
Intuitæ rursum caput occuluere sub undis.
Carolus has lustravit aquas, regina secundis

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

Utaris velis, bis jamque superbiit æquor,
Neptunúsque oneri devotus, subdere sese
Gestit, & ad sponsos pacis fert pignora gemmas;
Non undis extinctus amor, sed & acriùs urit;
Incusat spes ægra ratim, quàm tarda videntur
Vela dari, & segnem navim jam volvere pontum:
Dúmque tumescentes sinuosa volumina fluctus
Objiciunt, piscésve rati, Remoræ omnia habentur;
Te propter (Regina inquit) patriósque penates,
Et pictos commutó lares, Te, Carole, propter
En devota mari dimitto rosaria, nostras
Conjunctásque manus eadem sacra vincla ligabunt;
Inque tuis regnis si fas venerarier ullam
Effigiem, Rex magne, tuæ devotior adsum;
Audiit hæc lætus Rex, & mox obvius instat,
Arctior amplexu, sed circumfusa corona
Ad superos tulit ingenti sacra oscula plausu,
Mox ambo ascendunt, Carolinis ipsa vehic'lis
Dat Catharina rotas, & eunt & amare & amari;
Currat & æternos sacer annulus iste per annos.

Timotheus Puller, M. A. *Coll. Jes. Socius.*

CUlus petit emeritâ dignum se luce cubile,
Hesperium fesso *sol* premit igne fretum:
Gente suas flammas requiescere jussit eâdem
Carolus. O magnis terra beata procis!
Quàm bene *Phœbus* amat, censes quem, *Carole*, dignum
Te comite, & partes, quas probat, ipse probas:
His *Tibi* pro meritis famulari gestit, & omni
Nocte *tuæ sponsæ* ventilat ille facem:

Quàm male *Phœbus* amat? quàm *Tu* generosius? ambit
Undas; undarum sed *Tibi Nympha* placet.
Nympha licet venias dives dotalibus undis,
Auriferóque trahas syrmate stagna *Tagi*;
Præque tuis pedibus, ductis meliore metallo,
Esse suos pulchros non putet ipsa *Thetis*;
Nec careas gemmis, (nullis obnoxia,) quas fert
India in ornatus ambitiosa tuos:
O quantò majus, quantò felicius illud,
(Transgrediare homines, transgrediare deas,)
Carolus elegit! *Phrygio* sub judice divas
Nil erat obscurâ vincere valle duas,
Rivalem invidiæ permisces ignibus orbem,
Inter tot *Veneres* sola probata *Venus*.
In cives *Bellona* daret cùm civibus arma,
Et patrio nostros ureret igne lares,
Sponsa parabaris: sed cessit victa jugalis
Pinu tæda, fero *Marte* repulsus *Hymen*:
Ecce, tot elapsis pia flamma revertitur annis,
Nesciit hæc regno cum pereunte mori.
Sic *Pisæ* fluvius *Siculo* correptus amore,
Trinacrium tacitas sub mare volvit aquas;
Tandem *Sicaniis Arethusæ* miscet in undis
Oscula, tam longo non temerata salo.
Non petimus, *Tibi* quas eviscerat *India*, merces,
Vel *Tibi Calliaco* quod fodit *Astur* agro:
Vicinâ de gente *Tibi*, *Catharina*, *Tuisque*
Arganthoniacas temporis affer opes.

Tho. Gale, A. B.
Trin. Coll. Soc.

Quis

Epithalamia Cantabrigiensia.

QUis mihi jam causas memorat cur pigra Boötæ
Plaustra vehunt cathedam, Cassiopea, tuam?
En tedas Venus ipsa parat, desertáque Cyprus,
Proniùs in thalamos quòd nitura tuos;
Præfulget clarâ cum lampade pulchra superne,
Sternit & æquoreas æquore nata vias.
Æolus armatas hyemes non fundet ab antro,
Numine scit bene quòd tu propiore cales.
Ut properes quoque Fama tuas tibi commodat alas,
Utque suum Musæ, sic tibi Castor equum.
Connubium hoc Superis labor est, vult hoc dea Juno
Pronuba, te jactans muneris esse sui,
Felix ut lætas ducat Lucina choreas!
Anglis quum Matrem detulit illa Bonam.
Si quando adversi veniant in lintea venti,
Impleat atque tuos aura maligna sinus;
Hæc Britonum sacra vota ut sint in amore secundi
Neptunus, virides Nereidumque comæ.
Nubila si terrent nigros glomerantia nimbos,
Nè dubites, tecum Cynthia lumen habes.
Hellespontiaci penetrat vada fervida ponti
Leander, Nymphæ dum calet igne suæ.
Tu dea, quid tam tarda? tuus Leander in igne est,
Fax amor in tenebris & Cynosura tibi est.
Penelopen lentam tuus objurgabit Ulysses,
Nectere perpetuas si juvet usque moras:
Nulla retexenda est, mendax quæ tela moretur,
Ni magis auriferi retrahit unda Tagi.
Mandet Ulyspo Tago, Tamisis te mutet undis,
Atque torus Danaes sic, Jove dignus erit.

Joan. Dryden, Art. Bac. Trin. Coll. Soc.

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

UNde tot in mediis fumant altaria vicis?
Multifidásque parat pronuba terra faces?
Cur lusus desueta pati, per compita plausu
Insolito citharam pulsat Jerna suam?
Cur Pæan delubra aperis? procul ecce novenâ
Lampade deducis cur Helicone Deas?
Fallimur? an tædis nitidarum turba sororum
Ornat in adventum se *Catharina* tuum?
Nosco diem causásque sacri, Tibi plauditur ultrò:
Et molles Erato ducit in antrà choros.
Te Lusitanas rutam venisse per undas,
Sertis & vittis enthea Musa canit.
Nunc opus est aureo lætetur ut Anglia sec'lo,
Reginam nobis nam dedit ipse Tagus.

Votum pro Rege & Regina.

DIi quibus est flammas curæ servare jugales,
Et Sponsi castis invigilare toris,
Eia agite, illustres *Carolo* properate nepotes:
Ut Sceptrum simili fronde metalla ferat.
Dum decimus mensis partu gratissimus adsit;
Devoret innumeros quælibet hora dies.
Acceleres plenos mammarum Cynthia montes,
Scilicet à *Lunæ montibus* illa venit.

In diem Nuptiarum.

EUge! petita dies, & sec'lo longior annus,
Exolvit justo pectora nostra metu.
Hæc est illa dies votis optata pudicis:
Quæ sequitur, Musæ nox reticenda meæ.

Hen. Dove, A. B. *Trin. Coll.*

Angli-

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

ANglia dat lætam, dat Lusitania dextram;
(Heu regum quàm longa manus!) natura maligne
Quod fieri vetuit, *Caroli* dedit ampla potestas;
Ut Tagus invisat Thamisin, regíque salutem
Reginæque novæ bibulus propinet in undis.
Exuimus tristes curas, doluisséque quondam
O! tam nulla pudet vacui solamina lecti,
Et spes longinquas sobolis damnâsse futuræ.
Dives adest opibus *Catharina* dextera; qualem
Vix meruit, vix exoptaverat Anglia dotem:
Nil refert quantum mittat Pax Julia, quantum
Vesputî nova regna, aut quantum spondeat auri
Dives Olyssippo bene nobilis incola ripæ;
Ipsa sibi dos ampla satis (si cesserit omen)
Hæredem patri símilem matríque datura.
Dii faveant utero; dii dent ut tempore justo
Parturiat nobis, quem læta Britannia votis
Concepit, quo (si fas dicere) tota laborat.

Edw. Pelling, A. B. *Coll. Trin.*

ASpicis ut niveæ pendent de turre columbæ?
Aspicis ut *Caroli* Candida Tecta petunt?
Illîc pennatæ, laxo temone jugales
Plaudentes Venerem deposuere suam.
Illa venit *Caroli* thalamos ornare pudicos,
Sola fuit tales digna tenere toros.
Explicuit frontem risu Cytherea venustam,
Et *Catharina*, inquit, mater Amoris erit.
Frange tuos arcus, & rumpe Cupido pharetram,
Digna manet telis femina nulla tuis.

Vim.

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

Vim jaculi sensit *Catharinæ* nobile pectus,
Desistas, tandis meta sit illa tuæ.
Hæc Venus: aligero tunc vecta per æra curru,
Ut Sponsæ cedat, templa Erycina petit.
Quàm meritò optandi est, animæ ut de traduce fiant,
Filius ô quantus! Filia quanta foret!
Descendat *Caroli* virtus cum sanguine, tota
Natorum in venas & *Catharina* fluat.
Majestas sedeat vultu, natet ore venustas,
Ut possint facies matris, & esse patris.
Jupiter Europam tergo trans æquor avexit,
At *Carolus*, conjux dum, *Catharina*, tuus,
Africam & Europam pariter vehit ipse per orbem,
Jupiter an *Carolus*, dic mihi, major erat?

De Hispanis Nuptias impedire conantibus.

QUæritis, hoc vinc'lum necti cur nollet Iberus?
In promptu causa est, spicula nostra timet.
Scilicet ille timet, veniant nè à dote sagittæ;
Quòd *Sponsæ* causâ *militat omnis amans.*

In Nuptias Caroli & Catharinæ *hyeme peractas.*

DIversi generis glacies res congregat, illos
Diversæ jungit sic regionis Hyems.

Gu. Perse, Coll. Regal. Socius.

OVos Lusiadæ solvite carbasa
Naucleri; Zephyris lenè ferentibus,
Navis littoribus tende Britannicis
Cursum sideribus bonis.

Grais

Graiis notâ Helice, sed neque navitis
Nec stellis opus, aut pyxide, quâ duce
Proram dirigeres, huc sacer attrahit
Magnes nempe potens amor.
Lusitanica gens amplius haud novo
Delatum orbe decus commemoret, tulit
Oris Angliacis & diademati
Gemmam Cæsareo Indiis
Binis, Japoniæ & littoribus Peru
Ignotam hactenus, & ditior Anglia
Regno (Diva) Tui est facta, futura sit
Quàm postliminiò tuis.
O læta Albioni, ô fausta Gamelia!
Sponsantes Superi prosperi quæ vovent,
Cùm stat Cæsarei sanguinis & sacra
Gentis damna rependere.
Hâc semper vice mortalia dividunt,
Alternis Superi fataque ponderant,
Divexata fuit quo prius Angliæ
Æqui par referunt pari.
Nuper progenies (heu!) nova febrium
Anglis incubuit: parcite næniis,
Imâ in pyxide spes fero salutis en
Communis micat è polo.
Hæc nos Dii Superi talio fat juvat
Fatorum, miseri quæ tulimus prius
Compensent mala cum fœnore scilicet:
Ut præsentia gaudia,
Splendidior solito curia fulgeat,
Ornata ut Dominam suscipiat novam,
Paulò candidior, serviat hospiti &
Ut tantæ ambitiosior.

Imo lætitiâ qui rapidi latent
Pisces, quæ Thamisis Naïdes alveo,
(Tritonis resonet dum tuba) ducere
Festos credibile est choros.
Perstricta est oculos Angliaci suos
Orbis splendidior bina Academia,
Et duplex sua (ceu gaudia inebriant)
His est visa beatitas.
Dii cœptis faveant, auspiciis suis,
Et sacro redimant tempora stemmate,
Tu desideriis scilicet Angliæ
Ponis (Diva) coronidem.
Alis fama Tui huc præpetibus volat,
Accendítque piis illicò amoribus,
Regnum pectoribus nempe præoccupas
Nostrísque imperium tenes.
Gens desideriis icta fidelibus,
Cunctaris patrio dum nimiùm sinu,
Quàm penè hæc Paridis sit rea criminis
Votis dum rapiat suis?
Jam gens incipiet serò Britannica
Risu cum solito agnoscere proprios
Expers Patricios, & populus rudis
Morum barbariem exuet.
Gentis delicias, & pia gaudia
Sacris par Superi jungite nuptiis,
Pacto hoc numinibus semper & Angliam
Nexam hoc nomine habebitis.
Descendant *Caroli* sceptra nepotibs
Seris, Dii, precor, hæc licia regia
Parcarum generis lineæ & alligent,
Cœlo sidera dum micant

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

Fument interea thura Jovi, & liteno
Aræ, pectoribus vota fidelibus
Fundantur, *Carolum* tospitet ut diu, &
Consortem thalami simul.
Fixis suspicimus luminibus polum,
Nascentem præeant quæ *Carolum* novæ
Stellæ, qui recreet ceu speculo suos
Vivâ patris imagine.

R. Bowen, A. B. *C. T. S.*

Per la venuta della Sagra Real Maesta della gran *Caterina* Regina d' *Inghilterra.*

A Voi crescan i Regni, ed à voi gl' honori
Sposi felici, e fortunati amanti
L' un con l' opre possente, e co' sembianti,
L' altra con le bellezze, e con gli Amori.
Per voi di doppie glorie, e doppi honori
Ricco il Tamigi, l' Ebro hoggi si vanti,
Se con la forte man, con gli occhi santi
Vincete i corpi, e soggiogate i cuori.
Erga al vostro valor metallo, e marmi
Anglia, et ammiri in bel nodo fecondo,
Giunto á la Dea d' Amor lo Dio del armi.
Egual non vi fia trionfator secondo.
Ecco (udir gia in Cantabrigia parmi)
Ea vincitrice, e' l vincitor del mondo.

Alessandro Amidei Fiorentino.

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

En las bodas de la sagrada Reál Majestád de Carlos Rey de Inglatierra, y de Catharina Infanta de Portugal, Ecloga Castellana.

Sylvio. Tityro.

S. *QUe ay de nuevo Pastor mi querido?*
Porque tu frente (interprete de l' alma)
Mas que no suele, alegre veo y calma;
Donde adevino algo bien aca eȝido.
Tit. *Tienes razón; qui 'l gozo en pecho entretenido*
Luego se muestra, ni quiere ser escondido:
Hagamos pues esta ribera assiento,
Dexando vn rato cuydado de ganados,
Permetiendoles a verdes prados;
Mientras yo apazi ble historia cuento.
Pues escuchame bien, porque tales rumores
Raros enriqueȝen las orejas de pastores.
Sylv. *Dime, por tu vida, yo de buena gana*
Tengo d' oyrte. Tityr. *As de saber por esso,*
Que bolvió el Pan querido nuesso
Al' cetro y la potestád soberana:
Rey de pastores, en quien solo se anida
Nuestro tesoro, paz, bien, gloria, y vida.
Syl. *Aquesto supé, y gozé de sabelle,*
Oyendo Faunos, Ximfas, y Pastores
Cantar (so verdes mirtos) sus loores.
Y todos entre si acareȝelle,
Rimbomban su nombre las selvas, y montanas,
Lo que Echo redobla en valles y campanas.
Tit. *Esto es la mitád de nuestras dichas,*

Mayores

Mayores cosas ya contarte hé
Si no m' inganno, Sylvio. Sylv. *A fé,*
Si tus hechos responden a los dichos,
Los de mas Arcades te celebrarán solo,
Y tambien a mi mismo tu serais Apolo.
Tit. *Entre las otras Nimfas y Donzellas,*
Ninguna linda y hermosa Dama
Mas empleava la tromba de Fama,
De alsár su voz hasta las estrellos,
Que no ha Donna Catharina; ni supplía
Mayor materia al pastorál poesía.
Sylv. *Pues que de essa contár has?* Tit. *Oyrás;*
(Lo que desseas mas que otro nada)
Está a nuestro gran Pan esposada.
Tienes el cuento, ora que diras?
Sylv. *O nos dichosos hombres de Arcadio suelo!*
A quienes tanto ha favoresido el Cielo.
Tomemos las Samponas, mi hermano!
Y olvidando los passados miedos,
Las taniamos con ligeros dedos,
Guardando la fiesta de Pan soberano;
Y bailen a los tonos alegres ganadillos,
Mesclados de ovejas, cabras, y corderillos;
Tit. *Coje tu lirios, y claveles bellos,*
Azules violetas, y jazmines;
Robando todo l' fasto de jardines
Para texer guirnaldas por aquellos;
Sylv. *Pues tu muger Clorinda mesclará colores;*
Sabiendola el orden mistico de flores.
Tit. *Ens enaremos las parleras aves*
Articular estos queridos nombres;
Juntandoles en coro con los hombres

Epithalamia Cantabrigiensia.

Sus ledos cantos, y chirridos suaves
Hasta paresiesse selva vezina esta
Toda ser devenida la vocal Floresta.
Sylv. *Tengo en mi zurron versos escritos*
Hechos en ala bansa d' estas bodas.
Por Thyrsi el mas sagaz entre todas
Vezinas vegas: mientras los cabritos
Se pacen allá, sentando nos entrambos
Cantemos juntamente estos Coriambos.

Coro de entrambos.

VIvid, par mas illustre que no vió
El sol dorado en quantos passos dió:
Y ennoble Sed con su reál casta
Nuestra tierra, sucediendo, hasta
Los cielos mismos, y espheras sueltas
Cansando dexan sus sonoras buelras.
Hazed, que desde lexos se aparte
El mal ruydo del sangriento Marte,
Quien (poco ha) soliõ con sus rumores
Escarmentar ovejas y Pastores.
Ningun' siniestro cuervo os espante,
O venideras desventuras cante:
Mas filomena, (su boda soberana
Contando) desperte la mãnana,
Hinchando el ayre con los loores,
De vuestros gozos, y puros amores.
Y llova el Cielo sobre os queridos
Los bienes quantos tiene recogidos.

Tho. Belke, Coll. Regin. Soc.

Epithalamia *Cantabrigienſia.*

OMnes jam pacem colimus, Gradivus ab oris
Exulat, & clauſtris ferratis porta furentis
Occluſa eſt belli; ſedet intus Martius horror
Poſt tergum vinctis manibus; non ſanguine manant
Littora; non denſas ſegetes fert terra cruore
Pinguior humano; lachrymæ, triſtéſque recedunt
Luctus, & miſeri gemitus, ſævíque dolores
Aufugiunt: rebus noſtris ſpes lumine dulci
Affulget, longam Caroli de ſtemmate regum
Oſtentans ſeriem: petimus, cùm fata negabunt,
Communíſque hominum ſors hunc prohibebit adeſſe
Terris, ut ſaltem ſoboles ſuccedat, aviti
Hæres imperii, & patriæ virtutis imago.
Hactenus en votis Deus annuit optimus æquis,
Uxorémque parat; meritis quæ clara, decoro
Vultu conſpicua, & veterum Auguſtiſſima regum
Progenies, mox (nos niſi ſpes naſcentis Iŭli
Fallit, & augurium noſtrum) volventibus annis,
Menſibus aut paucis, Regem eſt paritura Britannis.
Omnia lætitiæ portendunt ſigna futuræ;
Connubiúmque ornare ſacrum, juſtóſque triumphos
Regali conferre toro, vultúque ſereno
Arridere parant: properat pars acrior anni
Cedere florifero veri; quibus horruit æther
Nimbi diffugiunt; evadit mitior alti
Temperies cœli; vario velamine campi
Luxuriant; venit & pulchros induta colores
Tempeſtas veris, mores imitata virorum,
Qui thalamis adſtant; dulci modulamine voces
Emittunt volucres: pariter nos dicere carmen
Conamur tenues; (faciet res ipſa poetam,
Si natura negat) juvat indulgere Camœnis.

Cantibus

Cantibus edendis, Linguis animisque precamur,
Carole Magne (tui, qui dum ſtas, gloria regni
Stat, florétque decus, noſtræ fundamina pacis
Inconcuſſa manent, variis quo ſoſpite regnum
Eſt immune malis, eadem communis utrique
Namq; ſalus, recum & populo commune periclum eſt)
Carole magne, Tibi thalamos pulchræque precamur
Felices ſponſæ; beet ut Regina Britannos
Fœcundâ ſobole, lætè cum conjuge vivas
Neſtoreos annos, tandem grandævus Olympum
Aſcendas; Summo qui temperat omnia nutu,
Concedat, tua ſtirps patriis virtutibus Anglos,
Résque ut tutetur noſtras, ſerique nepotes
Anglica ſceptra ferant, & qui naſcentur ab illis.

Tho. Barrington, Armiger, Trin. Coll. Commenſ.

NOn ſacri lateris cuſtodes, *Carole*, deſunt,
Non tibi conſilium, non tibi corda virûm;
Sola deeſt lecti conſors, & *Carolus* alter,
Extremum flatum qui legat ore tuum.
Verùm implet thalamos nunc *Luſitania*: Conjux
Aurea de fluvio labitur ecce *Tago*.
Non *Venus* igniferâ ſuccendit pectora ceſto;
Mutuus aut claro lumine jactus amor;
Prævia ſed tacitis junxit natura catenis,
Et mentem à cunis finxit utrique parem.
Pectora ab aſpectu rapiunt vulgaria flammas;
Abſentes animos verior urit amor.
Ardores veſtros gelidum non diluit æquor;
Ut *Venus orta mari*, ſic *Catharina* venit.

Ipſe

Epithalamia *Cantabrigienſia.*

Ipſe diu ſtrato jacuiſti ſolus in oſtro:
Ecce duos tandem Regia menſa capit!
En tibi conſortem (quam non daret Anglia) dignam!
En ſociam, generis nobilitate parem!
Multiplici ramo jam ſacra Britannica quercus
Floreat; æternum ſidera ſtemma petat.
Det ver quodque novum veteri de robore germen,
Radicésque altas ſpargat ubique ſuas.
Ut tua progenies numero deterreat hoſtes,
Dúmque damus plauſus, hiſcere nè valeant.
Stirps tua connubiis jungat tibi regna remotis;
Et totam *Europam* ſub tua ſceptra trahat.
Carole, claudo preces: redeas ad numina ſerus:
Quot *Neſtor* vidit, tot tibi luſtra velim;
Ut ſpectes firmâ validos ætate nepotes,
Nè populum cunæ, Te moriente, regant.

Jo. North, Coll. Jeſu Commenſ.

JAm ride ventos, ipſis conſide procellis,
Nec metue iratum findere nauta fretum;
Spem regni, Angliacæ proram puppímque ſalutis,
Fortunas Caroli jam vehit una ratis.
Quid Catharina times? Zephyrus quòd molliter undas
Tollat, & in placidis luſitet Auſter aquis,
Contendunt velum quæ fortiùs impleat aura,
Geſtit & ad tædas unda ſalire tuas.
Legitimas ſuccende faces Hymenæe, micabit
Puriùs in mediis tam ſacer ignis aquis.
Brachia Rex aperi, lætámque exporrige frontem,
Omnem & in adventum Carole pande ſinum.

Epithalamia *Cantabrigienſia.*

Totos amplexus certè illa meretur, in ulnas
  Per flammas & aquas quæ ruat uſque tuas.
Projice theſauros, fulvi nec cymba metalli
  Nobilius tumidum per mare vectet onus.
Occiduis Aurora ſuos ſi jungeret Indos,
  Et traheret totum per freta prora Tagum;
Sola eſſes omni Carolo pretioſior auro,
  Sola eſſes doti tu Catharina tibi.

Joannes Horden, A. B. *T. C.*

POſt tot luſtra beas Anglos Hymenæe, tot atros
  Claudit Io tandem meta ſerena dies.
Emicat, & feſtis cupit indulgere choreis
  Anglia, dehinc juſſis ſortis abire minis;
Anglia, quæ nuper bellis civilibus arſit,
  Heu nimis in pœnas ingenioſa ſuas:
Plaudit at inversâ rediviva Britannia ſcenâ,
  Sentit & alternas, fracta, refecta, vices;
Pax ridet, pacíſque ſimul germana voluptas,
  Fœdera conjugii dum ſtruit alma Venus.
Jam Tagus (O Thamiſis) ſtratis & amicior undis
  Geſtit in amplexus ocyor ire tuos.
Eia vel extremis à Gadibus uxor habenda eſt,
  Rex, tibi, nec thalamis dignior ulla tuis.
Tyndaridis ſileant paſſim præconia famæ;
  Nec minus huic formæ, pluſque pudoris ineſt.
Perſtet amor vobis, arcano & gratia vinclo
  Pectora non dubiâ nectat utrinque fide;
Nectat, & hic nodus veſtros qui jungit amores,
  Angligenûm certo fœdere corda liget.

Pulcher

Epithalamia *Cantabrigienſia.*

Pulcher & auſpiciis felicibus exeat hæres,
Par claris tandem jura daturus avis.
Sera ſed hæc lux ſit, quâ regni acquiret habenas
Natus, ab emerito ſceptra parente ferens.

Guil. Eede, A. B.
Coll. Chriſt. Soc.

SI cognata parùm vos, Muſæ, nomina tangunt;
Carmina Regali Virgine digna fluant:
Nam vos Caſtaliâ de virgine nomen habetis,
Illi gens linguam Caſtiliana dedit;
Vos lætæ Charites circum, trias inclyta, cingunt;
Pluribus illa tamen concomitata venit.
Sic venit quondam præclaræ ad mœnia Trojæ
Tyndaris, Idaliæ diva ſecunda Deæ;
Sed non ſic veniet, flammas ſparſura per urbem;
Dii precor avertant hoc, nova Troja, malum;
Quos fert, innocui ſunt tantùm Cypridis ignes;
Hæ tibi quàm gratæ, Carole ſponſe, faces!
Sic venias Regina tuis; & marmore nata
Læviget æquoreas mater amoris aquas.
Nec puto, cui tanti Regis fortuna vehenda
Demandatur, aquis poſſe perire ratem.
Nullus Abydenus ventoſum trajicit æquor,
Sed petit amplexus per mare Virgo ſuos.
Nulla ſit in tenerum maris inclementia ſexum,
Sit ſatis ex Helle quòd mare nomen habet.
Ergò veni Regina, tibi Nereides ipſæ
Efficient tutam per ſua regna viam:

Et propera, tu namque potes succurrere Regi,
Talis enim lateri regia costa deest.
Sic meritò dicere ejus pars altera, princeps,
Nempe Illi cordi es Tu, caput Ille tibi.

Ad Carolum Regem nuptias brevi celebraturum.

SI mihi pauca loqui de te Dominóque, Viróque *Ovid. Epist.*
Fas est, de Domino pauca, viróque loquar.
Quantum hominésque Deúsque Tibi dant, Carole, nomen?
Hinc etenim Dominus, diceris indè Deus.
Vulgus suspiciunt, & adhuc sub judice lis est,
Utrum mortalis seu Deus ipse fores.
Res incerta diu fuerat, nisi garrula fama
Dixisset vulgò, Tute Vir esse velis.

Joan. Newbery, Coll. Regin. Soc.

Ad Regem.

QUæ nec Σάπφω tulit, nec threnos Musa, parata est
Ad thalamos (ô Rex) læta venire tuos:
Cætera lætitiam cùm prodant, spero licebit,
Tentet ut ad thalamos innuba Musa pedes;
Scilicet innocua est, ausim spondere, soluta
Legibus esse nequit, quæ pede vincta jacet.

Ad Reginam.

QUin citiùs Regina veni, neque gaudia differ
Ulteriùs Britonum, spem mora quippe necat.
Te populus, Te Rex expectat, Episcopus, Heros,
Te (Catharina) canit singulus ordo Deam.

Rex

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

Rex vocat uxorem, plebs matrem, & Episcopus almam
Matronam, Dominam gens generosa vocat.
Ante hyemem venias precor ocyus, ora Britannûm
Æquora dissolvant, si modò clausa forent:
At nos fortè tuo duplex inviserit æstas
Adventu, metuat nos sera forsan hyems:
Utcunque hìc geminos soles jactare Britannis
Exortum liceat post (*Catharina*) tuum,
Longiùs à tergo Mauros Regina relinquas,
Te vel ad Angligenas confer & usque tuos,
Carbasa nec metuas, tanta sub mole triumphant,
Túque ratem potis es nobilitare tuam.
Cæsaris ista ratis, quia Cæsaris Ipsa, vehic'lum;
Quis non sub tanto numine tutus erit?
Dum Te, spes nostras vel in ipso ventre recondit,
Spes utero nostras Tu quia (Diva) tenes.
Non posthac natale solum laudetur, oportet
Lisbona nostræ urbi cedat, et illa Tibi;
Auratum necdum memoretur flumen, arenam
Ipsa Tagi in Thamisin fers, *Catharina*, tuum.
Londinum Regina tuum Miranda vocetur,
Mirandam certum est huc rediisse tuam.
Cùm primùm optatas Anglorum viderat oras
Carolus, en omnes huc sua dona ferunt,
Exterus, indigenæ, sua singula dona tulerunt,
Solis ad exortum Persa vel omnis erat.
Belga dedit thalamum, dat Portugallia nuptam,
Capsam Belga dedit, gemma sed hujus erat.

VOTUM.

CUm semel occursus dabitur, precor, obvius iste
Primus conventus faustus utrinque fiet,

Epithalamia *Cantabrigienſia.*

Prodromus ad reliquos, Deus ipſe avertat abortum,
Vos itidem vitâ, nomine, prole beet;
Sit Tibi Rex hæres, regno ſimul ipſe fruatur,
Sint, precor, innocui gaudia caſta tori.

F. Bate, S. *Caio-Conv.*

MAvortem, & Venerem Vulcanus caſſe ligavit,
Rex *Carolus* Mars eſt, & *Catharina* Venus.
Natus Vulcano hos vicit, vinxítque Cupido,
Reges, Reginas, omnia vincit amor.

Stella Venus *Carolum* ſolem comitatur, & illi
Eſt perdigna comes ſplendida ſola Venus.

Tandem poſt curſus varios, longósque peractos,
Jam cœli Zonam ſolvit Apollo nitens.

Non opus eſt pyrulis, *Carolus* clariſſimus urit,
Sol noſter flamma eſt, ſit Sibi digna pyra.
Sunt ſolùm Phœbi flammis ſponſalia tanta
Digna, (precor) nunquam ſit rogus illa pyra.

Jupiter ad ſignum pervenit Virginis, erret
Nunquam, ſed Stator Jupiter eſto (precor.)

In literas C. R. *quæ* Catharinam Reginam, *æquè ac* Carolum Regem *ſignificent.*

SÆpe viri venis uxoris nomina fulgent,
Nomine ſed *Caroli* (cœlis quod ſcribitur altis,

Falca-

Falcatæ Lunæ radiis) *Catharina* relucet.
R Stat pro Regina, quæ ſtat pro Rege; ſecunda
Litera ſunt unum, ſic uno nomine gaudent
Felici, Britonum quo gaudet tota caterva.

Thom. Hughes, A. B. *Aul. Trin.*

Xaïçs ſuum cecinit pergratum pſittacus; ingens,
Eximiúmq; decus ſic ſibi Cæſar habet:
Apocope corvis ſit fauſtis (*Carole*) dicunt
Te Caium; Caia & ſit *Catharina* Tibi.

Rob. Cory, *A. B. C. D. ſ. S.*

I Precor, incolumi, navis *Carolina*, rediſque
Fortunâ Domini, es quam petitura, tui;
Contigeris ubi Lisboas feliciter oras,
Et Te dilectum nobilitârit onus,
Solvas, chara, ægrè linquenti, vincula terrâ,
Nec differ longâ gaudia noſtra morâ,
Firma diſcordes clauſtris pater Æole ventos,
Mollia ſed Zephyris fræna remitte tuis,
Undarúmque potens compeſce Tridentifer æquor,
Et careat tumidis frons tua læta minis,
Ad placidos Dominæ vultus compone, ſerenum
Ut vix ſe credat deſeruiſſe Tagum,
Par Divûm chara hæc comitetur carbaſa ſelix,
Et pictæ inſideat feſta corona rati,

Terti-

Terribilis nautis Helena absit, dotis iniquæ,
Infaustique ferens omina dira tori.
Sed cur fingo mihi vanus monstrum æquore majus?
Sollicito jussit plenus amore timor;
Quæ Divam gremio *Catharinam* Regia puppis
Commissam debes, numine tuta tuo es,
O properes, nostris ponásque fideliter oris,
Depositum, atque Argo Tu vel amoris eris:
Fidus, votorum crebris comitantibus auris,
Nauclerus placidum per mare ducet amor;
Nec deerit magnes notam qui tendat ad Arcton,
Nec dubium indigitans nautica pyxis iter.
Ducitur instinctu, Cypro cum matre relicta,
Terram aliam & Divam, quam veneretur, habet;
Scilicet ille Tui propioris numina sentit,
Communis nostri Diva futura parens.
Ecce frequens udo stat littore turba Tuorum;
Queîs vox una, nec una est vox, *Catharina venis*:
Vix dum passa moras amplexus invidet undis,
Clamat & exiguæ quid prohibetis aquæ?
Sed læta officio festinanti obvia proræ
Affilit, & mœsto murmure tardat aqua;
Ægrè aliam terris cedent maria invida Divam,
Scilicet Hæc melior quàm prior illa Venus.
Te visâ, insolitis, *Catharina*, tepentia flammis,
Imperium cupiunt ambitiosa tuum.
Quicquid Erythreâ niger invenit Indus in algâ,
Quicquid habet charum divitis ora Peru,
Dos Tibi, sed ternâ *Caroli*, *Catharina*, coronâ
Omnibus his gemma es pulchrior una Tui;
Gens vidua, & divisa prius toto orbe Britanna,
Est per Te terris fœdere juncta novis,

Sed

Sed vinc'lo propiore ligas Te Diva Britannis;
Unis Túque simul nos *Carolúm*que Tibi.
Tanta tuæ movit, Rex optime, cura coronæ
Impletos votis muneribúsque Deos,
Consortem regi pariter, thalamíque dedêre,
Ut possis patriæ jam Pater esse tuæ.
Eia age gens Superis grates persolve Britanna,
Atq; triumphali sidera voce feri,
Ara coronetur, faciat pia victima vota,
Nam vix est ultrà sollicitare deos.
Dii faveant, & fata pari huic & sidera juncta,
Promittant longos omina fausta dies;
Sacra hæc sint multo fœcunda cubilia partu,
Hîc desint superûm pignota certa Deûm;
Riserunt faciles Superi, arrisere sorores,
Sancita & stabili sunt mea vota colo.

R. Udall, Coll. Trin.

REgni Rex *auriga* sui; populíque, senatus,
Atque *boni Comites* sunto *vehic'la viæ*;
Regia quæque *via* est; nec erit sine *pulvere* pensum,
Indomitos referunt dummodo vulgus *equos*;
Credimus *experto*, faxit moderetur *habenas*,
Donec stella *roteî* se super axe poli;
Nunquam Te maneant occisi fata tyranni,
Qui rapuit *Caroli plaustra*, ruítque suis;
Sed cecidit! Rex luce novâ jam assurge *Trioni*,
Aurigam jactant Te tria regna suum:
Hic labor, hoc opus esto Tuum, *moderamine* justo
Nôris dura quibus *frena*, tenella quibus:

At quorſum toties *moderamen* poſcimus? omnes
Novimus ut placido cogimur ire *jugo*;
Regem rexit *amor*, ſic nos & *amore* gubernat;
Et regem, & populos aurea *frana* regunt.
Sic huc uſque *maritatus* ſit *Carolus* Anglis,
(Sit precor hæc gentis copula firma tuæ,
Et ſint nulla tuis unquam *divortia* regnis)
Dii vortant magis hinc conjugium ſtabile.
Nè Phaetontëi ſubeat diſpendia fati
Gens, *auriga* ſacer quando *Trione* cadit.
Altiùs *evecto* at ſceptris devotiùs omnes
Ibimus, officio firmiùs inde tuo:
Ut jubare auguſto ſolii Tua gloria fulget!
Quà patet orbis erit percitus his radiis;
Ire in amicitias veſtras tota invida *regna*,
Certant officiis *prima* ſubeſſe Tuis:
Quæ non terra, ſuum quò Te ſibi jungat amicum,
Non Tibi ſe ſponſam poſſe tuliſſe cupit?
Quæ non *Diva* lubens tantos exoptat amores,
Æmuláque amplexus ambit inire Tuos?
Regali ſemper num ſede morabere ſolus?
Regia vena diu quàm fuit abſque *pari*?
Majeſtas & amor dent hâc in compare dextras;
Sit conſors ſolii, ſi Tibi digna cluat:
Vota placent Superis, quibus es ità proximus, ecce
Cœlitus ut ſponſæ nuncius inde novæ!
Save, *Diva*, Tuos quæ ſic mereatur amores,
Cælo vel dignum *Cæſare* ſidus erit;
Aſſideat ſolio felix Regina, triumphos
Innumeros regno ſic renovare jubes,
Inque triumphalem aſcendat regina *curulem*,
Dat *Carolus* plauſtrum, dat *Catharina* rotam.

Epithalamia *Cantabrigienſia.*

QUam priùs indueras viduata, Britannia, pallam
Abjice lugubrem, gemebundam ſupprime & auram;
Non quæ te toties ultró ſtravere, novercæ
Jam noceant: ſuprema manent tranquilla Britannos;
Iratóſque deos alius ferat, unde remotæ
Tot gentes gemuere; vagas nos tollere curas
Præſtat; non noſtras terras Aſtræa reliquit.

Tho. Crompton, S. C. Commenſ.

HAud ultrà querimur, ſalebroſior orbita ſortis
Quòd ſit, vicésve interpolet;
Teſſellata nigris interſtinguátve lacunis
Gentis tabellas Anglicæ.
Quin juvat, ut vario ſit vermiculata colore
Fortuna, lege hâc præſtitâ
Alvei ſit emenſos nigricantia chaſmata, fixos
Nos demum in albo collocet.
Plus ſolito exhilarat radiatum Hyperionis aurum
E nube nigra fulgurans,
Umbráque picturæ ſuperaddit opaca nitori:
Vitæ modum ſic temperat
Sors (ſortísve Deus potiùs moderamine certo
Res fluctuantes dirigens)
Dulcia condivit ſubacerbis, cuncta palato
Quò blandiantur gratiùs.
Angligenas olim Mars & feralis Enyo
Preſſêre junctis viribus:
Sic viſum eſt Superis, quò pectora noſtra futuro
Accommodarent gaudio,
Cordáque lætitiâ priùs evacuata tumerent
Intro recepto *Carolo.*

Post sudum en iterum cœli inclementia: vix dum
Firmatur arbor Regia,
Quin Libitina ferox tetrâ grassata securi
Occet renella stemmata.
Hinc dolor, hinc luctus, (laurúmq; premente cupresso)
Carbunculata gaudia.
Verùm hæc consilio Superos lusisse sagaci
Mens suggerebat augurans:
Scilicet haud secus ac repetita tonitrua purum
Præpollicentur æthera:
Sic nobis veniunt frendentia fata futuræ
Felicitatis nuncia.
Siste dolor; fuscæ disrupta repagula nubis
Cedunt, diésque clarior
Emicat; en *Catharina* suum amplexura maritum,
Viam capessit Regiam;
Transnatat in Veneris concha Neptunia regna
Suam petens Britanniam.
Quin timor est, nè dum nimis alta superbia tollat
Undas, iniquæ evaderent,
Et declive nimis facerent iter; obvius esto,
Faxísque, ventorum pater,
Ut spiret Zephyrus torantia balsama flucțus
Quæ intumescentes lævigent.
At nec opus; propriis potis est dominarier undis
Nostra ipsa Phœbe viribus;
Quanquam deliquium passa est surgentibus undis
Illum inter atque *Carolum*,
Illarum demum, premeret cum terga carina,
Compressit impudentiam:
Et (Jovis auspiciis) Magni *Caroli* incrementum
Hæc Luna crescens attigit.

Splen-

Epithalamia *Cantabrigienſia.*

Splendétque fruitúrque ſuo contermina Phœbo,
Conjunctione mutuâ:
Aſſiduè radiis æquis hæc lumina bina
Affulgeant à ſymbolis;
Sic variata ſtrophis pergas Fortuna rotari,
Uſque uſque gratulabimur.

Joſephus Lane, Coll. Pet. *A. B.*

SOlve rates, undásne times *Catharina* ſuperbas?
Quid Venus hoc timeat, quo fuit orta, mare?
Æquora promittunt Fratres tibi tuta, ſororem
Nempe Helenam credunt claſſe natare tuâ.
Jupiter ingenui celatus imagine tauri
Europam raptor per maris egit aquas:
Per mare Tu raperis, ſed non invita, potenter
Quippe tuus *Carolus*, Tu ſapienter amas.
Ad Danaen falſo penetravit Jupiter imbre,
Eheu, quàm pauper Jupiter emptor erat!
Carolus ætherio quantò Jove major habendus!
Ditior huic ultrò Sponſa, nec empta, venit.
Sit felix *Catharina*, ſit altera prorſus Eliſa,
Cætera par, ſolâ virginitate minor:
Borbonam referat numeroſâ prole Mariam,
Cætera par, ſolâ relligione prior.

Joannes Huffam, Trin. *Coll.*

ATria ſic magni quondam laqueata Stuarti.
Et multùm niveis candentia tecta columnis,
Bis ſeptem ingreſſæ, caſtiſſima turba, puellæ,
Omnes Angliaci pulcherrima gloria regni,

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

Tempora purpureis redemitæ frondibus omnes,
Implicuere choris dextras, & ter pede terram
Pulsantes, læti thalamos subiere mariti:
Tunc cùm sidereæ Carolus post fœdera sponsæ
Deduxit multam sera sub nocte quietem:
Illæ omnes pariter junctis, paritérque remissis
Applausere modis, fremitu cava tecta resultant.
Stertis adhuc? longúmque tenes sub pectore somnum?
Stertis adhuc, grati prævertens gaudia lecti?
Surge nec optatæ faciens convicia nocti,
Aspice formosæ jam felix virginis ora,
Aspice, nec longas nunc incusare querelis
Perge moras, tardum quòd volvit Signifer annum,
Pigra nec ignavos maturat Cynthia menses:
Grande moræ pretium retines, majora tenebis,
Aurea divinam referant si pignora matrem.
Qualis (ubi socios extinguit Lucifer ignes)
Purpureis Aurora bigis invecta per orbem
Fulgurat, & toto surgit spectabilis anno:
Haud aliter nostras incedit dia per urbes
Sponsa, nec ingenuo fulget minùs aurea vultu.
Illa etiam manibus totum complexa maritum
Arctat, & exoptat flammâ propiore peruri,
Augustósque stupet vultus, auróque micantem
Cæsariem, clarásque æquantia lumina stellas:
Sæpe etiam effingit qualis regina per urbes
Incedat, populóque diu exoptata Britanno
Anteeat, magno tantùm minor una marito.
Jungite felices mansuro fœdere dextras,
Jungite Io dextras; vobis dea Cypris amores
Concedat pariles, pariles det Jupiter annos,
Et semper simili lassentur prole curules.

Interea

Interea alternis implentes pectora flammis,
Solvite securo nictantia lumina somno:
Nos ubi consumptis nox humida cesserit alis,
Rursus irrumpentes thalamos, & regia tecta
Ibimus: ô Hymenæe, Hymen ades, ô Hymenæe.

V. C. C. G. C.

Ad Serenissimam Reginam.

SIdus ades Catharina Britannis gentibus æquum,
Et revocas vultu secula læta tuo.
Effluxit mala nunc ætas, nunc tempora dantur
Lætitiæ mistos non habituta metus.
En te longa sacro venerantur gaudia circo,
Atque novam credit vulgus adesse deam,
Non toties clamatus Hylas, Catharina tuorum
Sollicitâ quoties voce petita venis.
Reddas Henricum, reddas Catharina Mariam,
Ut pensès thalamo Funus utrumque tuo.
Sic Magno majus reddet tibi Carole nomen,
Optatum Patris cum titulum addiderit.

Tho. Turner, Trin. Coll.

Epithalamium Regale.

ECce suis Genii gaudent Junonibus, ardet
Jupiter, & Phœnix non ardens uritur, unde
Maternâ soboles succedens exilit urnâ;
Quid supereſt? omnes duplici sub pondere lecti
Cœlestes crepitant, geminos fert tetra cadurco:
At Te desertus capiet (Rex maxime) lectus?

Porta

Portabísque uno tria mœcetia collo,
Vestráque de proprio consurget pulvere proles.
Quin meliora tuis fert Lusitana Puella,
Hesperio fixam detrudens littore puppem,
Indè pudicitiam vultu testata rudente,
Non aliter quàm quæ tenui divellere loro
Ausa est hærentem Tiberino littore proram;
At cùm Rex jubeat, gestit conscendere navim,
Nec sentina gravis, Rege invitante marito:
Ergo age, vexatum toties prædonibus æquor
Paca nave tuâ, (nam sic Venus influit undis)
Aspice privatos Regali stirpe Britannos,
Et juvet hinc citiùs palmam præbere Luperco:
Aspice quàm sordet, dum nescit janua laurum,
Usque adeóne levé est nullum tot lustra nepotem
Prospexisse, suum quem diceret Anglia Regem?
Ah! nostri miserere precor, quot monstra, quot offas
Effundunt Anglæ? Quid sunt? sine vertice trunci,
Ede igitur, Regina, caput quem Magna salutet,
Et Defensorem, patriæque, Britannia, Patrem,
Gallia quem Dominum, quem Lusitania Regem.

Tho. More, Coll. S. Petri.

Dicite Io Paan, & Io bis dicite Paan

Lætitiæ spatium vix breve carmen habet.
Hæc est illa dies, & luce beatior illâ,
Quâ Carolo populus nupsit, & ille Deo:
Illa tibi tantùm, Rex, firmat debita, juri
Concedit lux hæc regna aliena tuo.
Insula nè reliquo divisa sit Anglia mundo,
Qui Lusitanis copulet Isthmus adest,

Non

Non aliter Catharina tuæ, Te, nuncia formæ
Rettulit effigies, quàm notat umbra diem.
Ipsâ Te veniente deâ, natura recurrit,
Et mutant ſolitas tempora dura vices:
Mitiùs excipiat quò te clementior annus,
Præpropero curſu ver ſimulabit hyems;
Et niſi deferrent tibi nuda cacumina honorem,
Induerent ſylvæ, quas poſuere, comas.
Se tria regna tibi debent, pro Principe quartum
Se debere tibi Wallia noſtra velit.

Ed. Jones, Trin. Coll.

NIl fontes, gelidæ proſintve Aganippidos undæ,
Nil Parnaſſiacum, nomina vana, jugum;
Aptior eſt liquidus jam ad noſtra tripudia campus,
Aptior ádque hilares Nereos unda ſales;
Hinc nobis venit modò Carolus, ecce, ſerenus,
Et Caroli thalamis hinc quoque ſponſa venit:
Non ſecus exoritur cùm vaſto è gurgite Phœbus,
Mox ſequitur Phœbum candida Luna ducem.
Securè venias, nam quod calcaverit Helle
Non tibi tangendum, Regia Virgo, fretum;
Non verearis ut ut fluctus ſævósve tridentes,
Neptunus Carolum nam timet ipſe tuum;
Nec dubites noſtro vitam committere ligno,
Principibus nondum perfida quercus erit;
Certè etiam ventis turgeſcent vela ſecundis,
Præſagit Zephyros aurea Luna ſuos.
Præterea nil deeſſe tibi tot numina curant,
Ob fauſtè inſtantes officioſa faces,
Advenies etenim Venerum, Suadæque, Dianæque,
Et Charitum famulis concomitata choris;

Epithalamia *Cantabrigienſia.*

Gliſcet raptus Hylas tibi ſerviturus, erítque
Nerëis imperio quæque ſuperba tuo;
Nec patriæ auriferos pigeat te linquere rivos,
Rivus, quà venies, nam Tagus omnis erit;
Gratia at Angliacis manat neque parva fluentis,
Nec mala Thamiſiâ Naïs inerrat aquâ.
Aſt mox nutantem linquens tumido æquore pinum
Feſtina ad tedas, fervida ſponſa, tuas;
Feſtina ad tedas, quibus hoſtica quælibet, ac gens
Uſta ſupercilium ponat Ibera ferum.
O age, feſtina; Reginam Rex ſibi, quercus
Regalíſque hederam plorat abeſſe ſuam.
Adſit, Io Hymenæe, dynaſtarúmque futura
Et regum latis ſtirps generoſa plagis,
Adſit, ut emergat geminato principe ſceptrum,
Plúſque ſemel felix duplice ſole jubar;
Iſta adeò lætum conjunctio ventilat omen,
Atque ſpei longo ſyrmate corda trahit.

Rymer, C. Sid.

TEmpore quo vultus velat Catharina venuſtos
Huic Carolo jungenda ſuo, deſcendit Olympo
Cypris, & ad tantum venit improviſa maritum,
Ut ſacrum firmaret opus, matrémque ſecutæ
Tunc Charites venere ſimul, nuptámque videntes
Attonitæ ſtupuere diu, dúmque omnia luſtrant
Acriùs, & totos figunt per ſingula viſus,
Tunc iterum ſtupuere magìs, nympham eſſe videbant,
Et tamen eſſe negant, riſit Cytherea, ſuásque
Sic comites affata fuit: quid pulchrius olim
In cœlo vidiſtis? ait; Jam credite naſci
Hâc etiam tellure deas, nec ſolus Olympus

His

Epithalamia *Cantabrigienſia.*

His titulis elatus ovat, ſpectate ſupremum
Naturæ conantis opus: quæ dignior aulâ
Eſt facies? ſceptróque manus? quæ forma genarum?
Sidereæ quis frontis honos? mox omnia Muſæ
Altâ voce canent; en dulcem Gorgonis undam
Jam linquunt, fontéſque ſacros, ut Principis ornent
Conjugium, tedáſque colant; ſic fœdere in uno
Regna duo per me gentem coguntur in unam;
Sic ego ſum corpus ſubtile, per ætheris arcta
Intervalla volo, partes conjungere poſſum,
Quas, nè contiguæ, prohibet diſtantia, fiant.
Sic fatur: procul at jucundo murmure cœlum
Inſonuit, ſignúmque dedit, fit purior æther,
Fulget clara dies, & mox venere canoro
Plaudentes Helicone deæ, totámque per oram
Dulcia Pegaſeæ modulantur carmina nymphæ.
Aſpice ut accurrunt fulgentes ære cohortes,
Et dominam dominúmque canunt, ruit enthea circum
Mœnas, & inſolitas attollunt orgia cantus,
Horrendúmque ſonant, nitidíſque revincta coronis
Læta Mimalloneos oſtentat Lydia thyrſos.

Jam, Carole, en Catharina tibi duo regna propinat,
Accipias partem, totum accipiésque: moraris?
Candida virgo veni, ventóſque coerceat acres
Æolus, & ſileant venti, dum diva per undas
Tendit iter, venias Carolo dilecta ſecundo.
Diſcite juſtitiam venti, & non temnere divam;
Et poſtquam appuleris, multâ ſis prole beata,
Quæ ſtirpem virtute probet, ſceptrúmque ſuperbi
Regis, & Heſperios poſſit calcare furores.

Ben. Johnſon, Sid. Coll.

Epithalamia *Cantabrigienſia.*

SAcra coronantur genialia limina myrto,
Aſtat ad auratas ſedula turba fores.
A thalamis *Carolo* tota eſt Academia, nuptæ
Singula formoſæ Muſa miniſtrat opem.
Carole, quàm meritò tibi tota Britannia plaudit,
Currit in amplexus cùm *Catharina* tuos;
Dives amore venit, Pactoli vecta per undas
Indiam in aurifero geſtat utramque ſinu.
Carolus in Regnis, in Conjuge, Fratre beatus,
Prole ut ſit felix térque quatérque, precor.

Jo. Fleetwood, Coll. Regal.

ANgligenas *Carolo* regnante ex parte beatos
Aſpicere incipiunt ſuavi jam ſidera vultu;
Quæ beet ac tandem *Carolinâ* prole Britannos,
Reginam ſponſam ſummo quoque principe dignam,
Fata dabunt, properátque hoſpes gratiſſima Regi,
Inflatis velis volitat pérque æquora claſſis,
Donec ad optatas Anglorum pervenit oras.
Illius amplexus Rex appetit, illa lacertis
Ambiri Regis; quod Luſitania poſcit,
Anglia nec ceſſat precibus vocitare Hymenæum.
Adſis nunc Hymenæe, tuis cultoribus adſis,
Fœdere quos optant omnes nectíque jugali,
Ad tua templa trahas, Sponſum Sponſámque vocabis.
His uterus, Regina, tibi tumeat tuus actis,
Et *Carolum* facias inſigni ſtemmate patrem,
Tum Rex, & Regina, & tota Britannia felix.

Sacket, Sid. Coll.

Ad

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

Ad Reginam Ode ΠΡΟΣΦΩΝΗΤΙΚΗ.

Linquas *Ulyssippona* retorridam,
Brigantiámque, & *Lusiadûm* domos,
Divina Virgo, sat calentes
Luce tuâ, & propiore flammâ.

Non sola clarum hoc aspiciat jubar,
Sacros & ignes *Hesperia* plaga;
Arctoa & astri tam benigni
Percipiat radios amœnos.

Sat jam beâsti, sat patrios lares,
Novas in oras longiùs emica;
Illustra & orbem nunc *Britannum*
Sidereo, *Catharina*, vultu.

Hùc verte lumen, te vocat *Albion*;
(Vix *Albion*, dum te sine, Candida)
Te tota gens *Brittaniarum*,
Plebs, Equites, Proceres procantur.

Regale te ambit, Nympha, palatium,
(*Album* haud vocetur, tu nisi veneris)
Divûm domus te sacra, & ædes
Occidui veneranda *Petri*.

Augusta mater te *Trinobantias*,
Flos, gemma, ocellus deperit urbium;
Te *Tamisis* (si fas) *Tago* par
Aurifero, pretiosus amnis;

Te (si simul vis omnia) *Carolus*,
Hoc nomine audito ocyùs advolas,
Cor fascino contacta amoris,
Dásque manus puero *Dionæ*,

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

Philtro minori cedere nescia.
Macta ergo, Princeps, sis diademate,
Et *Carolinum* scande currum,
Scande torum, soliúmque Regis.

Sic tu beabis postera secula,
Sic te beabunt postera secula,
Cùm Regiam edes, Diva, prolem,
Carolidas, Catharinulásque:

Gerent & olim sceptra *Britannica*
Seri nepotes, Magna Parens, tui,
Et *Carolorum* longus ordo,
Clara *Stuartiadûm* propago.

Epithalamia Distycha Ἐπιλογικά.

TRans mare cui profugo dedit olim *Gallia portum*,
Annon huic *Portu-Gallia* jure placet?

ESt tibi, Carole, currus, equos dabit * urbs ὅλος ἱππῶν·
Junge, triumphalis sic tibi currus erit.

* *Olisippo q.* ὅλος ἱππῶν, P. Merul. *Cosmograph. p. 2. l. 2. c. 26 ex Ptolem.*

QUid non præstat Hymen? aut quæ non vincula nectit?
Urbs Ithaci Trojæ jam fit amica novæ.

QUi *mores hominum* tot *& urbes* instar *Ulyssis*
Vidit, hic ante alias urbem & *Ulyssis* amat.

AH quoties te ærumna gravis, te *LUSIT* ANI'A!
Junge duas voces, Carole, salvus eris.

Cu

Epithalamia *Cantabrigienſia.*

GUi ſimul & Patri *Cathari* ſtruxêre ruinam,
Perfida gens, facies hunc *Catharina* Patrem.

SEquana nunc & *Iber* coeunt, *Tamisísque Tagúsque:*
In mare *Pacificum* flumina cuncta fluant.

D*Ana* Avia en *Danaë*, mater *Venus* aurea (judex
Sit *Paris*) à flavo eſt aurea Sponſa *Tago.*

C*HARA* ô *LUSITANA* veni *COR*, charior auro;
Ecce tuus *CAROLUS* te, *CATHARINA*, vocat.

TU *SAT CLARA AURO*; *HINC* ſat dives *CAROLUS*,
Cùm *CATHARINA* venis, *India* tota venit. (ad quem

O *Catharina* veni, quid gaudia noſtra moraris?
CHARA, *ITAN'* ah ceſſas? ô *CATHARINA*, veni.

DIſticha amant Thalami; quid enim niſi Diſtichon ipſi?
Nempe Vir hexametrum eſt, Sponsáq; pentametrum.

F. D. S. T. D. Coll. Trin.

FINIS.

Cam. d. 662. 1

EPITHALAMIA CANTABRIGIENSIA

In

Nuptias Auſpicatiſsimas
Sereniſsimi Regis

CAROLI II,

Britanniarum Monarchæ,

Et

Illuſtriſsimæ Principis

CATHARINÆ,

Potentiſsimi Regis
Luſitaniæ
Sororis Unicæ.

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE

CANTABRIGIÆ:
Ex Officina *Joannis Field*, celeberrimæ
Academiæ Typographi.
Ann. Dom. 1662.

Quod felix faustumque! ô terque quaterque beati,
Quorum ante ora stetit templi sub moenibus altis
Perpetuum feriens Divûm par Nobile foedus:
Ducite de Templo mea carmina, ducite Regem.
En redeunt! graviorque mihi jam musa vocanda est
Ad partes; quid enim, tellus, tu sola theatrum
Tot capitum fies? sunt haec spectacula prorsus
Æthereis ignota plagis: celeberrima regni
Negligit an nescit nostro conterminus Orbis
Carole gesta tui? quisquamne severior altis
Indixit genius taciturna silentia coelis?
Ducite de Templo mea carmina, ducite Regem.
Quin summos conscende polos, divina theatra
Inspice, & invenies hodiernae conscia pompae;
Nam fieri quis posse putet, quod tanta supremis
Congeneri coelis cumuletur gloria Regi,
Omnia quin recinat nostris bene consona terris
Angelici lyra quaeque chori: quae musica sola
Principe digna meo est: hoc conclamante Theatro,
Ducite de Templo mea carmina, ducite Regem.
Hìc mihi per liquidi coeli spatia ampla vaganti
Vox audita fuit, (nec scire interfuit unde)
Majori humano quae talia protulit ore:
Cognati si Regis amor, si nobile sacrae
Foedus amicitiae Regni fundamina firmant;
Si Rex, qui sanis fautor, medicusque benignus
Civibus infirmis, timor aut stupor Orbis habetur;
Floreat aeternùm pergrata Britannia coelo
Ducite de Templo laeta agmina, ducite Regem.
Carole, cum thalamis de fertilitatis honore
Certet terra tuis, dum coelum fronte ferena
Utraque conspiciet, nec summa, nec ima recusent

Inservire

Inservire tibi, quem mox numerosa minorum
Progenies Divûm fuerit confessa Parentem.
Cætera, quæ fari nequeo, taciturnus adoro.
Duximus ad thalamos, sileant mea carmina, Regem.

Mich. Stanford, Ch. Coll. Socius.

NOn decet imparibus verbis, Regina, triumphos
Infandos renovare Tuos in carmine victo:
Omnia, Te sponsâ, vel Cæsare digna Britanno,
Plurima Regna Tuos Hymenæos æmula tedis
Illustrant, augent sacras quot lumina flammas,
Lumina tam multi proavi quæ clara dedere
(Lampade ut æterna) date lucem accendere luce,
Prole novâ; ut sanguis, Carolo pro Martyre cæso,
Multiplici vestro reparatus stemmate crescat
Longâ progenie, Quorum omnis Principe dignus
Nectat amicitias, totum & Tibi vinciat orbem:
Tot gentes Regina ferat foecunda Britannis
Quot Carolos Carolo, Carolique dabuntur in ævum.

Edw. Rayney, Coll. Jesu. Commensal.

Ad Serenissimam Reginam.

VIndicat amplexus dum Rex, nos turba molestæ
Officiosa, tuos volvimur ante pedes.
Post reducem Carolum, viduo gratissima regno,
Quódque unum Regi defuit, uxor ades.
Dura, nec in castris Carolum sine virgine tutum,
Nec salvum in solio prospera fata sinunt.
Cùm tamen attuleris Regi regnóque salutem,
Non est quam dederit fœmina, prima salus.

Innumeras vidit variis de gentibus, unam
Te dignam thalamo credidit esse suo:
Non illum admotæ tetigit vicinia formæ,
Tu poteras nondum visa placere magis;
Sævit in absentem, sacrámque accendit amoris
Vivida, longinquo è littore, flamma facem:
Tanta è longinquo si sit contagio, quanta
In Carolum flammæ vis propioris erit?
Cùm sceptra assereret Braganza, Hispania sensit
Damna, sed abscessu damna minora tuo;
Ægriùs has dimittit opes, gravisque minatur,
Dum pudet avulsam te sine Marte pati.
Ast Aquilam Austriacus nostri sciat esse ministram
Fulminis, & nostrum plus colit illa Jovem.
Divitias aperit bello, pensare quietis
Nec placet aurato vellere damna tuæ.
Hesperidum Alcides, Colchorum raptor Jason,
Mala eadem profert India, vellus idem;
Miles amat causam populo cum divite belli,
Alciden simul ac Jasona præda facit.
Non nisi per nostras Lisbonam læserit oras,
Per nostrúmque iter est ad tua regna latus
Sollicitos depone metus, secura jacebis
In thalamo, duplici vindice, Fratre, Viro.
Δῶρον Jacobus, Carolus dedit Εἰκόνα, libros;
Festina in partus, & simul ede duos.
Donum ingens, nostro quo non Regalius orbi,
Quæ venit ex utero Regis imago tuo;
Non ultrà petimus, non est quod vota fatigent
Coelos, cùm tu de Virgine Mater eris.

Thom. a Hill, M. A. *Trin. Coll. Socius.*

Hem-

Epithalamia Cantabrigiensia.

HEm! Siste currus! integros nondum meruit
Anglia triumphos. Quid *Vigornia* fugam,
Tectúmque clypeo numinis charum caput;
Quid sospitem, reducem, sacro diademate
Auctum crepamus *Carolum*, si spes tenui
Felicitatis tota pendeat colo:
Ejúsque, Fratrísque evoluto stamine,
Mox cædibus, flammis, ruinis, sacrilegiis
Revolvimur, ruimúsque in antiquum *Chaos*?
At euge! tandem grata sors diem attulit,
Qui solvit animi pendulos, & lætitiam
Spondet perennem. Regii Consors thori
Apparuit, quæ *Carolini* stemmatis
Vetet ruinas, & Diis charissimam
Æternitati consecret prosapiam.
Horrendus atrâ nocte cùm fremit *Africus*,
Cœlúmque ponto miscet iratus *Aquilo*;
Trementibus si fortè juncti *Tyndaridæ*
Affulgeant nautis, triumphant ilicò,
Polúmque quatiunt strenuo celeusmate:
Agnoscat omen dexterum *Britannia*,
Orbi suo splendere jam *sidus geminum*.
Portenta fausta! det Deus, ut, in posterum,
Haud pereat unquam nostra naufragio ratis.

Guliel. Cook, A.M. *Coll.* Jesu *Soc. & Acad. Taxat. Soc.*

LUx festiva Anglis, quâ te, *Catharina*, videre est,
O consors *Caroli* digna futura toro,
Euge Anglis, quamvis sua Lusitania regna
Det, quàm cùm dederit te, dabit illa minùs.

And. Hughes, *Aul. Trin. Soc.*

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

QUæ mare divisit tumidum distantia *Regna*
Junxit *Amor*, precor ut jungat & una *Fides*.
Sam. Owen, Aul. Clar.

ASpera jamdudum quæ regna exercuit ambo
Sors, nunc felici fœdere jungit Amor:
Singula fortunam poterint si ferre malignam,
O quàm juncta valent jam meliore frui!

QUæ modò plorantem repetito funere gentem
Aspexit, fuditque rudes in carmina plaustus,
Cæsaris ecce iterum magnos visura Penates
Musa audax lætis sese immiscere choreis
Gestit, & assequitur præeuntes murmure pompas.
Te, Dea digna Jove, & nostro paritura Tonanti,
Quam parili triplices Parcæ cinxêre coronâ,
Te videt, atque tuos spectat præsaga nepotes.
O si nunc, Regina, Tagus per carmina vestrâs
(Fabula quem vano ditat pretiosa metallo)
Effundat veros latices è divite vena:
Aurea perpetuo manarent sæcula versu:
Atque mihi totum spirarent pectora Phœbum:
Garrula res amor est, sesèque ingentia produnt
Gaudia, & angustas animi aspernata latebras
Certa foras exire juvat, vultúque fatentur
Indice depositum: cunctis plaudentibus unus
Fit siluisse pudor, tacitique infamia voti est.
Ipsi etiam cupido surgentes vertice fluctus
Certatim jactant properanti basia puppi,
Præsentem testata deam, dominámque fatetur
Blanda Thetis, supplexque pios admurmurat undis.
Divi lætantes adsunt, & gaudia nostra
Participes sensêre, licet Venus ipsa ruberet
Te Venerem mirata novam, nec luce minores

Præbe-

Præberet radios mortalis gloria formæ,
(Non aliter gemini diverso cardine soles
Affulgent, dubiæque premunt vestigia stellæ
Quem faceret Natura ducem) Tunc Cypria diva
Clara, ait, O virgo superûm gratissima cura,
Sponsa veni; túque O terrarum maxime Princeps,
Sponse veni: nunquam tali connubia tedâ,
Aut majore deûm studio accelerata paravi,
Jungite concordes æterna in foedera gentes.
At tu, chare Deis Princeps, cui tempora signant
Majestas & Amor, magnæque modestia frontis,
Jam curas depone tuas, ac prælia tantùm
Nostra para, quo vultu olim excepisse rebelles
Gaudebas domitos, cui quisquis poneret arma
Civis erat, vicítque ipsum clementia bellum.
Imperii prægrandis honos jam dulce renidens
Spargat mite jubar, quod sceptri emolliat iras,
Méque meum Martem paulò dimitte magistrâ.
Túque, O quam poscit Tethys dominámq; nurúmq;,
Virgineos depelle metus, regina: maritum
Fata dedêre tibi, quem propter læta Dianam
Deseruisse velis, cui zonam solveret ipsa,
Atq; lubens nostri coleret mysteria regni.
Accipe quem nullæ temerârunt pectora flammæ,
Quíque tuo primos de nomine concipit ignes,
Quem generum exoptat multo sibi regia voto
Quælibet, ínque tuos servat fortuna colores.
Sic tibi progeniem facilis Lucina paternâ
Majestate notet, maternâ quæ Iudas imago
Ora per, & similes accendat gloria vultus.
Quin tu, quam mediis Nereus complectitur undis,
Insula pande sinus (jam fortunata) tuósque

Excipe, quos largum cumulat illi numen, honores.
Stemmatis antiqui titulis ac ordine longo
Illustres coiere domus, sceptrisque daturæ
Pignora, venturum late spargenda per ævum.
Vosque mei vates carmen properate secundum,
Festinant etenim nascentia fata futuri
Principis, & longo ducunt simul agmine reges.
Dixerat; assensere Dei, sic exilit omen
Ingens: arripiunt anni, immensosq; triumphos
Suspendunt gravidis renientia tempora pennis.

Fr. Bridge, A. B. Coll. Trin. Soc.

ENse tori med à Legati in parte locato,
Connubii Regum nectere vinc'la solent;
Reginam at clausis nunc Jani (*Carole*) portis
Semoto possis ense fovere sinu.

Fra. Doyley, C. Regal. Soc.

LOngùm vota damus: longùm spem fallimus ægram
Ancipites, fessisque oculis spectavimus æquor;
Cùm tandem, emenso pelago, pulcherrima visu,
Tanquam *Aurora* [illegible] *Tethys*,
Surgit ab *Oceano* Regina [illegible], gaudens
In thalamos properare novos: jam cuncta triumphis
Misceri videas; jam [illegible] littora lætos
Ingeminant strepitus, quos [illegible] gyro
Multiplici referunt, vocemque [illegible] torquent.
Agglomerat se turba frequens ex [illegible] fervent!
Et, quacunque juvat contendere, [illegible]
Pondere pressa gemit, longo [illegible]

Disposi-

Dispositæ; quisque ut tantæ miracula formæ
Intentis oculis, avidóque exhauriat ore.
Haud aliter quàm cùm radio rutilante Cometes
Igneus exarsit, vel cùm nova stella refulsit
Sidereo commista choro, statim agmine facto
Prorùmpit plebs tota furàs, ardore tuendi
Luminéque immoto liquidum vorat Æthera, viso
Néve carere potens, nec mentem explere videndo.
Ipsa sed imprimis, gemmísque insignis, & auro,
Emicat incessu, Cyanus, flammáneque Pyropus
Exornant illustre caput, radiísque coruscis
Insolitam fudere diem, stupet arduus æther,
Miratúrque suis in terris lumina nasci,
Æmula sideribus, rutilóque æqualia Phœbo.
Addunt se comites, quot Lusitania tellus
Aut genere, aut opibus celebres, aut flore juventæ
Edidit illustres; quicquid Neptunus in imo
Condidit Oceano, quicquid divisa beatis
India visceribus premit, aut flagrantior æstu
Africa terra coquit, Libycísque recondit arenis.
Hîc congesta micant, tali comitata catervâ
Pergit in occursum Regina, atque agmina jungit
Qualis ubi, sumptâ pharetrâ, jaculísque, Diana
Virgineo stipata choro, Dictæa per arcta,
Idæísve jugis gradiens, sortè obvius ipse
Frater Apollo venit, mistas jungúntque choreas,
Hinc ardent Dryades, glomerantur Oreades indè,
Cretésque, Dryopésque simul, Nymphæque decoræ
Festa agitant, [illegible]
Anglica sic pubes, & [illegible]
Circumfusa choro, [illegible]
It coelo strepitus, resonat clamoribus aer;

Et

Et sylvæ, saltúsque novo tremuêre boatu,
Dúmque viam rapiunt ad celsa Palatia Regis,
Axe Triumphali, Vota hæc plausúsque sequuntur:
Floreat æternos celebris CATHARINA per annos.
At verò, Rex magne, quibus tibi fausta precari
Auguriis opus est? tua quot sponsalia lætis
Auspiciis veniunt? Dicámne *volâsse Columbas*?
En tibi pulchra satis, *Milvus* quam terret *Iberus*,
Ad tua Tecta volat, (*Tua Candida Tecta*) Columba!
Nec frustrá memorem, quod *Ulyssippone* vetustâ
Duxeris exortam: sic, qui velut alter Ulysses
Exul eras olim, variísque erroribus actus,
Invenies tandem formâ, vultúque pudenti
Penelope similem; multâ quæ prole parentem
Te faciet, castósque tibi servabit amores.
Quid quòd *Opis* sperare licet, non omine lævo,
Conjugio tali? fiet meritò *Angliæ* dives:
Ipse *Tagus Thamisi* nubit, propriúmque fluentum
Tradit, & auriferas Sponso concedit arenas.
Ergò fatidicæ sileant oracula turbæ,
Quæ toties *Flammâsque, Facésque* ex æthere visas
Signa infausta canunt: tandem *Mirabilis Annus*
Certius omen habet, *Carolum* cum conjuge pulchra
Fœdere conjungens: thalamum, tedásque jugales
Prædixêre *Faces*, Superique ostenta dedêre,
Clariùs ut pateat *fieri concubia cœli*.
Huc igitur cupidis tandem, Rex optime, votis
Volvimur, ut thalamos faxior tibi Numina faustos,
Queis nova progenies solio sceptrisque Britannis
Succedat, niveâ *Titan* dum lampade terras
Lustrat, & aurato splendescit *Cynthia* cornu.

Carolus Darby, A. M. Coll. Jesu Soc.

Qui

QUî fit, Dive, sacri tam longa vacatio lecti?
Tantæne ambages tantis amplexibus? hæccę
Pompa verenda morę, sacer ambitus atq; procandi?
Sancita in summis aiunt connubia cœlis,
Res gravis, at via longa, diu expectare necesse.
Quid cunctaris Hymen tua plectra aptare choreis,
Dignáque maturis solennia reddere tedis?
O Veneris pennate Puer, quis contigit alis
Viscus? detinuítne tuas rubigo sagittas?
Flexilis arcus adhuc, & adhuc pendentia filo
Lumina, subtilíque acie pertendis ocello
Rubricam, nec corda sacro sacra vulnere tangis?
His Amor ingemuit, nimis ah nimis, inquit, in alto
Regia corda jacent, nostris nec pervia telis!
At Regale Tuum, Rex invictissime, pectus
Pandere digneris, dea si quę illustrior ulla
Adsit, Tu proprii reseres sacraria cordis,
En satis Augustum solium pro compare, rutâ
Sede licet nullum patitur Cæsarque priorem,
Possit habere parem; sic fortuis ibit honoris
Vis unita Tui, Majestatisque verendæ:
O nimis à patrio passus divortia Regno,
Dum viduatus eras per tædia noctis opacæ,
Ipse maritatis dilectis exul ab Anglis,
Carole deserto jacuisti hinc frigidus ostro,
Quin desponsatis Regnis modò redditus Ipse
Te Tibi redde, sacro lateri simul addito cœstam,
Integer ut fias: sors desinat improba tandem
Fortunas mutilare Tuas, invita Minerva.
Nulla Tibi, aut dubiæ metuenda pericula fortunæ
Ecce boni vultus, quam primum tempora fandi
Tu facis, haud simulare moras, mentirier iras

Nec responsa velint (infida oracula) certis
Optatis offerre Tuis, En pectora praestant
Ignibus officiosa sacris, ardere voluptas
Martyrio tali, ambitio tenet undique gentes
(Sive Tuas metuunt iras, cupiúntve favores)
Vestræ huic Vestali sua dent ut pabula flammæ.
Attonitúsque stupet mundus, quos ista beata
Sors manet, ignarus fatorum & fluctuat anceps
Spémque metúmque inter, (diis ut solenne) latere
Mortales decreta solent, mox edita factis
Conspicienda suis, sic ut priùs abdita tanto
Suspicienda magis, sic dum celavit amores
Lusit in Angliacis Carolina potentia rebus.
Exposito imperii arcano jam *victa, videnda*
Diva *veni:*, *Tria verba* jubent; *via regna triumphant:*
Si priùs & *vicit*, quàm *videri*, indè videndum
Imperio quàm cuncta regit suavi atque potenti:
Cùm nec ādhuc venit, tamen Hanc potuisse videri
Arguit Hoc, in sceptro oculus, globus & quia juxtà,
Nil mirum totos orbes à rege videri.
At quid si vultúm tabulis quæsivit ab umbra
Tantus amor, quinam venient à sole calores?
Aspera jam solitos deponit bruma rigores
Adventu recreata Tuo, vernóque tepore
Gaudet, conjugiis aderunt miracula vestris.
Mortalis Divæ adventum celebrare vocamur
Mortalis simul atque Dei: Quæ littore solvens,
Ut sponso pariter devinctos solvat amores,
Nereïdes, blandæ Sirenes, totáque ponti
Turba novam stupuere deam, volcúque pudenti
Intuitæ rursum caput occuluere sub undis.
Carolus has lustravit aquas, regina secundis

Utaris velis; bis jamque superbiit æquor;
Neptunúsque oneri devotus, subdere sese
Gestit, & ad sponsos pacis fert pignora gemmas;
Non undis extinctus amor, sed & acriùs urit;
Incusat spes ægra mihi, quàm tarda videntur
Vela dari, & segnem navim jam volvere pontum?
Dúmque tumescentes sinuosa volumina fluctus
Objiciunt, piscésve rati, Remoræ omnia habentur;
Te propter (Regina inquit) patriósque penates,
Et pictos commuto lares; Te, Carole, propter
En devota mari dimitto rosaria, nostras
Conjunctásque manus eadem sacra vinc'la ligabunt;
Inque tuis regnis si fas venerarier ullam
Effigiem, Rex magne, tuæ devotior adsum;
Audiit hæc lætus Rex, & mox obvius instat
Arctior amplexu, sed circumfusa corona
Ad superos tulit ingenti sacra oscula plausu,
Mox ambo ascendunt, Carolinis ipsa vehic'lis
Dat Catharina rotas, & eunt & amare & amari;
Currat & æternos sacer annulus iste per annos.

Timotheus Puller, M. A. *Coll. Jes. Socius.*

CUm petit emeritâ dignum se luce cubile,
Hesperium sesso *sol* premit igne fretum:
Gente suas flammas requiescere jussit eâdem
Carolus. O magnis terra beata procis!
Quàm bene *Phœbus* amat, censés quem, *Carole*, dignum
Te comite, & partes, quas probat, ipse probas?
His *Tibi* pro meritis famulari gestit, & omni
Nocte *tuæ sponsæ* ventilat ille facem:

Quàm male *Phœbus* amat? quàm *Tu* generosiùs? ambit
Undas, undarum sed *Tibi Nympha* placet.
Nympha licet venias dives dotalibus undis,
Auriferóque trahas syrmate stagna *Tagi*,
Præque tuis pedibus, ductis meliore metallo,
Esse suos pulchros non putet ipsa *Thetis*,
Nec careas gemmis, (nullis obnoxia,) quas fert
India in ornatus ambitiosa tuos:
O quantò majus, quantò felicius illud,
(Transgrediare homines, transgrediare deas,)
Carolus elegit! *Phrygio* sub judice divas
Nil erat obscurâ vincere valle duas;
Rivalem invidiæ permisces ignibus orbem,
Inter tot *Veneres* sola probata *Venus*.
In cives *Bellona* daret cùm civibus arma,
Et patrio nostros ureret igne lares;
Sponsa parabaris: sed cessit victa jugalis
Pinu tæda, fero *Marte* repulsus *Hymen*:
Ecce, tot elapsis pia flamma revertitur annis;
Nesciit hæc regno cum pereunte mori.
Sic *Pisæ* fluvius *Siculo* correptus amore,
Trinacrium tacitas sub mare volvit aquas;
Tandem *Sicaniis Arethusæ* miscet in undis
Oscula, tam longo non temerata salo.
Non petimus, *Tibi* quas eviscerat *India*, merces;
Vel *Tibi Calliaco* quod fodit *Astur* agro:
Vicinâ de gente *Tibi*, *Catharina*, *Tuisque*
Arganthoniacas temporis affer opes.

Tho. Gale, A. B.
Trin. Coll. Soc.

Quis

Epithalamia Cantabrigiensia.

QUis mihi jam causas memorat cur pigra Bootæ
Plaustra velunt cathedam, Cassiopea, tuam?
En tedas Venus ipsa parat, deserta que Cypris,
Proniùs in thalamos quòd ruitura tuos:
Præfulget clarâ cum lampade pulchra supernè,
Sternit & æquoreas æquore nata vias.
Æolus armatas hyemes non fundet ab antro,
Numine scit bene quòd tu propiore cales.
Ut properes quoque Fama suas tibi commodat alas,
Utque suum Musæ, sic tibi Castor equum.
Connubium hoc Superis labor est, vult hoc dea Juno
Pronuba, te jactans muneris esse sui,
Felix ut lætas ducet Lucina choreas!
Anglis quum Matrem detulit illa Bonam.
Si quando adversi veniant in lintea venti,
Impleat atque tuos aura maligna sinus;
Hæc Britonum sacra vota ut sint in amore secundi
Neptunus, virides Nereidúmque comæ.
Nubila si terrent nigros glomerantia nimbos,
Nè dubites, tecum Cynthia lumen habes,
Hellespontiaci penetrat vada fervida ponti
Leander, Nymphæ dum calet igne suæ.
Tu dea, quid tam tarda? tuus Leander in *igne* est,
Fax amor in tenebris & Cynosura tibi est.
Penelopen lentam tuus objurgabit Ulysses,
Nectere perpetuas si juvet usque moras;
Nulla retexenda est, mendax quæ tela moretur,
Ni magis auriferi retrahit unda Tagi.
Mandet Ulyspo Tago, Tamisis se miscere undis,
Atque torus Danaes sic Jove dignus erit.

Jon. Dryden, Art. Bac. Trin. Coll. Soc.

Epithalamia Cantabrigiensia.

UNde tot in mediis fumant altaria vicis?
Multifidásque parat pronuba terra faces?
Cur lusus desueta pati, per compita plausu
Insolito citharam pulsat Jerna suam?
Cur Pæan delubra aperis? procul ecce novenâ
Lampade deducis cur Helicone Deas?
Fallimur? an tædis nitidarum turba sororum
Ornat in adventum se *Catharina* tuum?
Nosco diem causásque sacri, Tibi plauditur ultrò:
Et molles Erato ducit in antra choros.
Te Lusitanas tutam venisse per undas,
Sertis & vittis enthea Musa canit.
Nunc opus est aureo lætetur ut Anglia sec'lo,
Reginam nobis nam dedit ipse Tagus.

Votum pro Rege & Regina.

DIi quibus est flammas curæ servare jugales,
Et Sponsi castis invigilare toris;
Eia agite, illustres *Carolo* properate nepotes:
Ut Sceptrum simili fronde metalla ferat.
Dum decimus mensis partu gratissimus adsit;
Devoret innumeros quælibet hora dies.
Acceleres plenos mammarum Cynthia montes;
Scilicet à *Luna montibus* illa venit.

In diem Nuptiarum.

EUge! petita dies, & sec'lo longior annus,
Exolvit justo pectora nostra metu.
Hæc est illa dies votis optata pudicis:
Quæ sequitur, Musæ non reticenda meæ.

Hen. Dove, A. B. Trin. Coll.

Epithalamia Cantabrigiensia.

ANglia dat lætam, dat Lusitania dextram
(Heu regum quàm longa manus!) natura maligne
Quod fieri vetuit, *Caroli* dedit ampla potestas;
Ut Tagus invisat Thamisin, regique salutem
Reginæque novæ bibulus propinet in undis.
Exuimus tristes curas, doluisseque quondam
O! tam nulla pudet vacui solamina lecti.
Et spes longinquas sobolis damnâsse futuræ.
Dives adest opibus *Catharinæ* dextera, qualem
Vix meruit, vix exoptaverat Anglia dotem.
Nil refert quantum mittat Pax Julia, quantum
Vesputi nova regna, aut quantum ponderat auri
Dives Olyssippo bene nobilis incola ripæ;
Ipsa sibi dos ampla satis (si cesserit omen)
Hæredem patri similem matrique datura.
Dii faveant utero, dii dent ut tempore justo
Parturiat nobis, quem læta Britannia votis
Concepit, quo (si fas dicere) tota laborat.

Edw. Pelling. A. B. Coll. Trin.

ASpicis ut niveæ pendent de rupe columbæ?
Aspicis ut *Caroli* Candida Tecta petunt?
Illîc pennatæ, laxo remone jugales
Plaudentes Venerem deposuere suam.
Illa venit *Caroli* thalamos ornare pudicos,
Sola fuit tales digna tenere toros.
Explicuit frontem risu Cytherea venustam,
Et *Catharina*, inquit, mater Amoris erit.
Frange tuos arcus, & rumpe Cupido pharetram,
Digna manet telis femina nulla tuis.

Vim

Vim jaculi sensit *Catharina* nobile pectus,
Desistis, laudis meta sit illa tuæ.
Hæc Venus: aligero tunc vecta per aëra curru,
Ut Sponsæ cedat, templa Erycina petit.
Quàm meritò optandũ est, animæ ut de traduce fiant;
Filius ô quantus! Filia quanta foret!
Descendat *Caroli* virtus cum sanguine, tota
Natorum in venas & *Catharina* fluat.
Majestas sedeat vultu, natet ore venustas,
Ut possint facies matris, & esse patris.
Jupiter Europam tergo trans æquo a vexit,
At *Carolus*, conjux dum, *Catharina*, tuus,
Africam & Europam pariter vehit ipse per orbem,
Jupiter an *Carolus*, dic mihi, major erat?

De Hispanis Nuptias impedire conantibus.

QUæritis, hoc vinc'lum necti cur nollet Iberus?
In promptu causa est, spicula nostra timet.
Scilicet ille timet, veniant ne à dote sagittæ;
Quòd *Sponsæ* causâ *militat omnis amans.*

In Nuptias Caroli & Catharinæ *hyeme peractas.*

DIversi generis glacies res congregat, illos
Diversæ jungit sic regionis Hyems.

Gu. Perse, Coll. Regal. Socius.

O Vos Lusiadæ solvite carbasa
Naucleri, Zephyris lenè ferentibus,
Navis littoribus tende Britannicis
Cursum sideribus bonis.

Grais

Graiis notâ Helice, sed neque navitis
Nec stellis opus, aut pyxide, quâ duce
Proram dirigeres, huc sacer attrahit
Magnes nempe potens amor.
Lusitanica gens ampliùs haud novo
Delatum orbe decus commemoret, tulit
Oris Angliacis & diademati
Gemmam Cæsareo Indiis
Binis, Japoniæ & littoribus Peru
Ignotam hactenus, & ditior Anglia
Regno (Diva) Tui est facta, futura sit
Quàm postliminiò tuis.
O læta Albioni, ô fausta Gamelia!
Sponsantes Superi prospera queis vovent,
Cùm stat Cæsarei sanguinis & sacra
Gentis damna rependere.
Hâc semper vice mortalia dividunt,
Alternis Superi fatáque ponderant,
Divexata fuit quo priùs Angliæ
Æqui par referunt pari.
Nuper progenies (heu!) nova febriũm
Anglis incubuit: parcite næniis,
Imâ in pyxide spes serò salutis en
Communis micat è polo.
Hæc nos Dii Superi talio sat juvat
Fatorum, miseri quæ tulimus priùs
Compensent mala cum fœnore scilicet
Ut præsentia gaudia.
Splendidior solito curia fulgeat,
Ornata ut Dominam suscipiat novam,
Paulò candidior, serviat hospiti &
Ut tantæ ambitiosior.

Imo lætitiâ qui rapidi latent
Piſces, quæ Thamiſis Naïdes alveo,
(Tritonis reſonet dum tuba) ducere
Feſtos credibile eſt choros.
Perſtricta eſt oculos Angliaci ſuos
Orbis ſplendidior bina Academia,
Et duplex ſua (ceu gaudia inebriant).
His eſt viſa beatitas,
Dii cœptis faveant, auſpiciis ſuis,
Et ſacro redimant tempora ſtemmate,
Tu deſideras ſcilicet Angliæ
Ponis (Diva) coronidem.
Alis fama Tui huc præpetibus volat,
Accendítque piis illicò animoribus,
Regnum pectoribus nempe præoccupas
Noſtrísque imperium tenes.
Gens deſideriis icta fidelibus,
Cunctaris patrio dum nimiùm ſinu,
Quàm penè hæc Paridis fit rea criminis
Votis dum rapiat ſuis?
Jam gens incipiet ſerò Britannica
Riſu cum ſolito agnoſcere proprios
Expers Patricios, & populus rudis
Morum barbariem exuet,
Gentis delicias, & pia gaudia
Sacris par Superi jungite nuptiis,
Pactò hoc numinibus ſemper & Angliam
Nexam hoc nomine habebitis,
Deſcendant *Caroli* ſceptra nepotibus
Seris, Dii, precor, hæc licia regia
Parcarum generis lineæ & alligent,
Cœlo ſidera dum micant.

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

Fument interea thura Jovi, & litent
Aræ, pectoribus vota fidelibus
Fundantur, *Carolum* fospitet ut diu, &
Consortem thalami simul.
Fixis suspicimus luminibus polum,
Nascentem præeant quæ *Carolum* novæ
Stellæ, qui recreet ceu speculo suos
Vivâ patris imagine.

R. Bowen, A. B. *C. T. S.*

Per la venuta della Sagra Real Maesta della gran *Caterina* Regina d' *Inghilterra.*

A Voi crescan i Regni, ed à voi gl' honori
Sposi felici, e fortunati amanti
L' un con l'opre possente, e co sembianti,
L' altra con le bellezze, e con gli Amori.
Per voi di doppie glorie, e doppi honori
Ricco il Tamigi, l' Ebro hoggi si vanti,
Se con la forte man, con gli occhi santi
Vincete i corpi, e soggiogate i cuori.
Erga al vostro valor metalli, e marmi
Anglia, et ammiri in bel nodo feconda.
Giunto á la Dea d' Amor lo Dio del armi,
Egual non vi fia trionfator fecondo.
Ecco (udir gia in Cantabrigia parmi)
Ea vincitrice, e' l vincitor del mondo.

Alessandro Amidei Fiorentino.

Epithalamia Cantabrigiensia.

En las bodas de la sagrada Reál Majestád de Carlos Rey de Inglatierra, y de Catharina Infanta de Portugal, Ecloga Castellana.

Sylvio. Tityro.

S. *Que ay de nuevo Pastor mi querido?*
Porque tu frente (interprete de l' alma)
Mas que no suele, alegre veo y calma;
Donde adevino algo bien aca eçido.
Tit. *Tienes razón; qui 'l gozo en pecho entretenido*
Luego se muestra, ni quiere ser escondido:
Hagamos pues esta ribera assienta,
Dexando vn rato cuydado de ganados,
Permetiendoles a verdes prados;
Mientras yo apazi ble historia cuento:
Pues escuchame bien, porque tales rumores
Raros enriquezen las orejas de pastores.
Sylv. *Dime, por tu vida, yo de buena gana*
Tengo d' oyrte. Tityr. *As de saber por esso,*
Que bolvió el Pan querido nuesso
Al' cetro y la potestád soberana
Rey de pastores, en quien solo se anida
Nuestro tesoro, pan, bien, gloria, y vida.
Syl. *Aquesto supó, y gozó de sabelle,*
Oyendo Faunos, Ninfas, y Pastores
Cantar (so verdes mimos) sus loores,
Y todos entre si acarreolle,
Rimbomban su nombre las selvas, y montañas,
Lo que Echo redobla en valles y campanas.
Tit. *Esto es la mitád de nuestras dichas,*

Mayores

Mayores cosas ya contarte hé
Si no m' inganno, Sylvio. Sylv. *A fé,*
Si tus hechos responden a los dichos,
Los de mas Arcades te cele brarán solo,
Y tambien a mi mismo tu serais Apolo.
Tit. *Entre las otras Nimfas y Donzellas,*
Ninguna linda y hermosa Dama
Mas empleava la tromba de Fama,
De alsár su voz hasta las estrellas,
Que no ha Donna Catharina, ni supplía
Mayor materia al pastorál poesía.
Sylv. *Pues que de essa contár has?* Tit. *Oyrás;*
(Lo que desseas mas que otro nada)
Está a nuestro gran Pan esposada.
Tienes el cuento, ora que dirás?
Sylv. *O nos dichosos hombres de Arcadia suelo!*
A quienes tanto ha favoresido el Cielo.
Tomemos las Sampoñas, mi hermano!
Y olvidando los passados miedos,
Las taniamos con ligeros dedos,
Guardando la fiesta de Pan soberano;
Y bailen a los tonos alegres ganadillos,
Mesclados de ovejas, cabras, y corderillos,
Tit. *Coje tu lirios, y claveles bellos,*
Azules violetas, y jazmines,
Robando todo l' fasto de jardines
Para texer guirnaldas por aquellas;
Sylv. *Pues tu muger Clorinda mesclará colores,*
Sabiendola el orden mistico de flores.
Tit. *Ens enaremos las parleras aves*
Articular estos queridos nombres;
Juntandoles en coro con los hombres

Sus ledos cantos, y chirritos suaves,
Hasta paresiesse selva vecina esta
Toda ser devenida la vocal Floresta.
Sylv. *Tengo en mi [illegible] cantos escritos,*
Hechos en ala bansa a estas bodas
Por Thyrsi el mas sagaz entre todas
Vezinas vegas: mientras los cabritos
Se pacen allá, sentando nos entrambos
Cantemos juntamente estos Coriambos.

Coro de entrambos.

Vivid, par mas illustre que no vió
El sol dorado en quantos passos dió:
Y ennoble Sed con su real casta
Nuestra tierra, sucediendo, hasta
Los cielos mismos, y espheras sueltas
Cansando dexan sus sonoras bueltas.
Hazed, que desde lexos se aparte
El mal ruydo del sangriento Marte,
Quien (poco ha) solió con sus rumores
Escarmentar ovejas y Pastores.
Ningun siniestro [illegible] os espante,
O venideras desventuras [illegible]
Mas filomena, (su boda soberana
Contando) desperte la mañana,
Hinchando el ayre con los loores,
De vuestros gozos, y [illegible]
Y llova el Cielo sobre [illegible]
Los bienes quantos tiene recogidos.

Thes. Bellet. Coll. Regin. Soc.

Epithalamia *Cantabrigiensia.*

OMnes jam pacem colimus, Gradivus ab oris
Exulat, & claustris ferratis porta furentis
Occlusa est belli; sedet intus Martius horror
Post tergum vinctis manibus; non sanguine manant
Littora; non densas segetes fert terra cruore
Pinguior humano; lachrymæ, tristesque recedunt
Luctus, & miseri gemitus, sævique dolores
Aufugiunt: rebus nostris spes lumine dulci
Affulget, longam Caroli de stemmate regum
Ostentans seriem: petimus, cùm fata negabunt,
Communisque hominum sors hunc prohibebit adesse
Terris, ut saltem soboles succedat, aviti
Hæres imperii, & patriæ virtutis imago.
Hactenus en votis Deus annuit optimus æquis,
Uxorémque parat, meritis quæ clara, decoro
Vultu conspicua, & veterum Augustissima regum
Progenies, mox (nos nisi spes nascentis Iūli
Fallit, & augurium nostrum) volventibus annis,
Mensibus aut paucis, Regem est paritura Britannis.
Omnia lætitiæ portendunt signa futuræ;
Connubiúmque ornare sacrum, justósque triumphos
Regali conferre toro, vultúque sereno
Arridere parant: properat pars acrior anni
Cedere florifero veri; quibus horruit æther
Nimbi diffugiunt, evadit mitior alti
Temperies cœli; vario velamine campi
Luxuriant; venit & pulchros induta colores
Tempestas veris, mores imitata virorum;
Qui thalamis adstant, dulci modulamine voces
Emittunt volucres: pariter nos dicere carmen
Conamur tenues, (faciet res ipsa poetam,
Si natura negat) juvat indulgere Camœnis

Cantibus

Cantibus edendis, Linguis animisque precamur,
Carole Magne (tui, qui dum stas, gloria regni
Stat, florétque decus, nostræ fundamina pacis
Inconcussa manent, variis quo sospite regnum
Est immune malis, eadem communis utrique
Namq; salus, tecum & populo commune periclum est)
Carole magne, Tibi thalamos pulchræque precamur
Felices sponsæ; beet ut Regina Britannos
Fœcundâ sobole, lætè cum conjuge vivas
Nestoreos annos, tandem grandævus Olympum
Ascendas; Summo qui temperat omnia nutu,
Concedat, tua stirps patriis virtutibus Anglos,
Résque ut tutetur nostras, seréque nepotes
Anglica sceptra ferant, & qui nascentur ab illis.

Tho. Barrington, Armiger, Trin. Coll. Commens.

NOn sacri lateris custodes, *Carole*, desunt,
Non tibi consilium, non tibi corda virûm;
Sola deest lecti consors, & *Carolus* alter,
Extremum flatum qui legat ore tuum.
Verùm implet thalamos nunc *Lusitania*: Conjux
Aurea de fluvio labitur ecce *Tuga*.
Non *Venus* igniferâ succendit pectora cesto;
Mutuus aut claro lumine jactus amor;
Prævia sed tacitis junxit natura catenis,
Et mentem à cunis finxit utrique parem.
Pectora ab aspectu rapiunt vulgaria flammas;
Absentes animos verior urit amor.
Ardores vestros gelidum non diluit æquor;
Ut *Venus orta mari*, sic *Catharina* venit.

Epithalamia Cantabrigiensia.

Ipse diu strato jacuisti solus in ostro
Ecce duos tandem Regia mensa capit!
En tibi consortem (quam non daret Anglia) dignam!
En sociam, generis nobilitare parem!
Multiplici ramo jam sacra Britannica quereus
Floreat, æternum sidera stemma petat.
Det ver quodque novum veteri de robore germen,
Radicesque altas spargat ubique suas.
Ut tua progenies numero deterreat hostes,
Dumque damus plausus, liscere nè valeant.
Stirps tua connubiis jungat tibi regna remotis;
Et totam *Europam* sub tua sceptra trahat.
Carole, claudo preces? redeas ad numina ferus:
Quot *Nestor* vidit, tot tibi lustra velim;
Ut spectes firmâ validos ætate nepotes,
Nè populum cunæ, Te moriente, regant.

Fo. North, Coll. Jesu Commens.

JAm ride ventos, ipsis confide procellis,
Nec metue iratum findere sæva freum.
Spem regni, Angliacæ proram puppimque salutis,
Fortunas Caroli jam vehit una ratis.
Quid Catharina times? Zephyrus quod molliter undas
Tollat, & in placidis lusituet Auster aquis.
Contendunt velum quæ fortius impleat aura!
Gestit & ad tædas unda salire tuas.
Legitimas succende faces Hymenæe, micabit
Purius in mediis tam sacer ignis aquis.
Brachia Rex aperi, lætamque exporrige frontem,
Omnem & in adventum Carole pande sinum.